

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibit ...

Specimen VII


Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1741

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821936832>

Band (Druck)

Freier  Zugang





Zinnin dreizehn Leipzg.

Ma - 3605.

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE,
QVAE
VARIAS
OBSERVATIONES,
CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA,
EX
OMNI MEDICINÆ AMBITV
PETITA
EXHIBENT.
SPECIMEN VII.

CVM FIGVRIS.

WRATISLAVÆ,
APUD JOH. JAC. KORNİUM
1741.

CASP. CVNRADVS

In Epigram. ad Catal. fossil. Siles.

NATVRA SVO PROVIDA NVTV
CVIQVE QVEAT PROPRIIS QVO SATIS ESSE
LOCO.

DVMMODO NATVRAE QVAE SINT MYSTERIA,
CAVTA

INGENITI GENII DISCVTIAMVS OPE.



BREUIS ADMONITIO.

En! BENEVOLE LECTOR, Saty-
rarum nostrarum, diu ab Amicis be-
ne nobis cupientibus exspectatam
continuationem, praeter opinionem,
longius quam par esse videtur, pro-
tractam. Quum id tamen, quod differtur,
non auferatur, eadem Nostrae Collectionis
obtigit. Non quidem materiae penuria, aut
COLLECTORVM desidia, multo vero mi-
nus eruditio orbis denegata suffragia, sed dome-
sticae quaedam causae remoram, publico **FAV-**
TORVM desiderio, variis ad Nos datis litteris
abunde testato, satis faciendi haetenus iniece-
runt. Nunc autem cunctis, quae praeter spem
impeditamento fuerunt, felici ausu remotis, noua
quadam & animi & calami alacritate, & restau-
ratis quasi viribus, opus iterum adgredimur,
omnesque vltiorem laboris nostri progres-
sum firmiter sperare iubemus, precamurque,
FAVTORES, AMICOS, COLLEGAS, Sa-
tyris nostris auxiliatrices hucusque præbentes

A 2

manus

manus, ut Eas, prout haētenuis, sibi habere commendatas, & obseruationibus, Casibus, Experimentis, Dissertatiunculis, ditare, & illustriores reddere in posterum velint. Quare & HIS, quorum Grata Nomina praesentes exhibent pagellae, pro benigniter concessio adparatu, publicas easque decentes agimus gratias, tot nempe ad plus dandum in uitationes, veniam simul nobis humillime exposcentes, quod tamdiu nostra fidei concreditam supellecilem Publici oculis subtraxerimus. Vale BENEVOLE LECTOR, nobisque porro Faue. COLLECTORES.

OBSERVATIO I.

*An. 1738. & 1739. Wratislauia demor-
tuorum Index.*

Ampla fuit sane Mortis Mesis Anni 1737, furentibus videlicet in nostra vrbe febribus acutis epidemicis. *Conf. Satyr. nostr. Specim. VI. obs. 1.* Nunc vero, quum Summi Numinis ira remiserit, Demortuorum numerus, ad antiquos consuetosque cancellos redactus, & inde ultra dimidium imminutus, natorum e contrario notabiliter auctus est. In Parochiis igitur, sub INCLITI SENATVS Jurisdictione sitis, & Augustanae Confessioni addictis decesserunt,

Anno 1737.

A die 25. Decembris

ad 31. eiusdem

35.

An.

Anno 1738.

Mens. Januar.	145.
Februar.	110.
Mart.	146.
April.	124.
Mai.	113.
Junio.	93.
Julio.	123.
Augusto.	140.
Septembr.	130.
Octobr.	147.
Nouembr.	131.
Decembr.	

ad diem 24. eiusdem. 95.

Quae summaā conficiunt M⁺DXXXII. personarum. Inter has autem numerantur *Viri* 271.

Vxores 152. *Viduae* 217. *Juuenes* 81. *Virgines* 79. *Pueri decimum* nondum aetatis *annum* transgressi 365, eiusmodi *Puellae* 327. *Pueri* ante natitatem extinti 21. *Puellae* eius conditionis 19. Ex quibus patet huius anni demortuorum numerum, 1551. capitis minorem esse anni proxime praeter lapsi, hancque excedentem differentiam, sali febrium atrocitati esse impunitandam. *Nati* sunt e contrario MCXLIV. *infantes*, *Pueri* scilicet 612, *Puellae* 532, qui numerus 95. personis superat anni præteriti indicem. *Futurae incolarum adfluentiae operam* dabant 458. paria, matrimonii vinculis recens iuncta, qui numerus itidem 173. paribus maior est numero antecedentis anni, tot calamitati-

A 3 bus

bus presi. Publicum vrbis Nosocomium,
Omnium Sanctorum quod vocatur, 396. suscepit
 aegrotos, quorum iterum 366. sanos dimisit.
 Id tamen, quod saepius iam monuimus, tan-
 tum intelligi debet, de Aug. Confess. addictis,
 quibus si addetur numerus & mortuorum &
 recens natorum apud Catholicos, uterque dua-
 bus circiter tertii maior inueniretur. Ab hoc
 ad subsequentem annum progrediamur. Mor-
 tui nempe sunt:

Anno 1738.

a 25. die Decembris

ad 31. eiusdem

18.

Anno 1739.

Mense Januar.

140,

Februari.

125.

Mart.

145.

April.

126,

Mai.

105,

Junio.

95,

Julio

124,

August.

130.

Septembr.

100.

Octobr.

122,

Nouembr.

101,

Decembr.

& quidem ad 24. di em 85.

Quae summa M CCCC XVII. conficiunt, re-
 rum 115, personis, numero anni praecedentis
 minorem. Hos interoccurrunt: *Viri* 219. *Vxo-*
res 162. *Viduae* 188, *Juuenes* 70, *Virgines* 76. *Pue-*
ri 73

ri nondum Decennales 339. Puellae eius aetatis 303. Pueri ante lucis usum denari 28, Puellae similares 32. Nati sunt vero MCCCXXXVII. Pueri quidem 722. Puellae 615. Quae summa itidem 195. personis maior est, quam fuit anno proximo. Nuptias celebrarunt 378. paria. In Nosocomium 344. aegroti, & 274. iterum sanitatem recuperati dimisi sunt.

SCHOLION.

Ex his facile coniectu est, quantum status noster epidemicus, penultiimi anni, MDCC-XXXVII mi scilicet, distabat ab eo, quem duobis his annis expertisamus. Fuerunt quidem morbi, tempestatem pluviolam, humidam, iusto frigidorem, aut subitaneas aeris mutationes, mox in calorem mox in frigorem declinantes, parentes agnoscentes, praefertim Serosi, febres catarrhales mali moris, imo & ipsae febrium exanthematicarum, penultimo anno ad eo funestarum reliquiae, quibus utriusque anni *Martius* mensis, numerum adeptus est decedentium, omnia prolixiorum, & fere sibi aequalem. Mensis sane Wratislauensibus, locum humidum, viginosum, vaporibus spissis, foetentibus primo praesertim vere obfessum, inhabitantibus, maxime periculosus, & subitaneas mortes haud raro inducens. *Junius* e contrario blande calidus utriusque anni, ne centum quidem funera adspexit, quae fors etiam fere fuit posterioris anni *Septembri*, tanquam fere-

A 4

na

na tempestate, & aere moderate adhuc calente prædicti. Imo Frigus illud, quod anno 1739. iam circa *Nouembris* initium incipiebat, & ad hunc vsque diem, quo haec scribimus, licet ver iam adolescat, satis molestum sentitur, ante Natiuitatis Christi festum multum erat intensum, quamuis sub finem *Decembris* paululum remittebat, Morbis periculosioribus, & Mortis vi, obicem quasi posuit, quia & *Nouember* & *December* breuiorem mortuorum exhibet catalogum, quam exhibit Anno 1738.

Ex nunc adduētis, more nostro sequentia elicimus confectionaria: I. Tempesta varia, praesertim humido-frigida excipiens calido-sicciam, tam vere quam autumno, in locis humidis, vaporosis, crassum & impurum aerem habentibus, Morbos epidemicos, eosque periculosos excitat; II. Aer serenus, vento neque calido ultra modum, neque multum frigido, sed temperato, subinde motus, omnium sanissimus est; III. Aer moderate calidus, qualis ut plurimum Mense *Junio* esse solet, in locis praesertim humidis, vaporosis &c. corporibus, imprimis laxis, humorum ad visciditatem & spis flescentiam pronorum magna mole grauatis, optime conducit, & a morbis libera esse dicit; IV. Idem statuendum est de aere moderate calido in autumni initium incidente, ut *September A. 1738.* testatur. V. Tempesta sicca, dummodo non excedat modum, aut nimis diu duret, corporibus non adeo funesta reperitur, quam humida, diuturna.

turnior, praesertim frigore coniuncta ; VI. Frigus, modo sit siccum, nec Ventibus acrioribus alte penetrantibus comitatum, corpora morbis periculosis non adeo obnoxia reddit ; VII. Idem sentiendum est de Frigore, etiam sati vrgente, quod non subito sed per gradus intenditur, & tali modo iterum remittit ; VIII. Vehementior aestiuus calor, succos humani corporis iusto nimis expandens, & in orgasmum agitans, atque sic copiosiorem subtilium particularum per poros iacturam excitans, periculorum morborum autor est ut vtriusque anni *Augustus* probat.

OBSERVATIO II.

L BENIAMIN SCHICHTII.

Medici Gorlicensis.

Adfectus Oculorum singularis.

Mediae aetatis Femina, temperamenti san-
guineo - cholerici, Anno 1722. Adfectu quodam oculorum ex improviso corripitur,
& quidem tam graui, vt quum illucescente die
somno excitata surgeret, omnem sibi denega-
tum esse visionis tentiret; vsum. (a) Adhibitis
quae conuenientia videbantur remediis, san-

A 5 guis

(a) Adfectus principium, suffusionis speciem fuisse, &
tunc adhuc in humoribus haesisse, certo certius esse
reor; praeprimis, quam] ex relatione adparere,
quod coryza per balneum retropulsa, mutationes ae-

guinem nempe depurantibus, laxantibus, ve-
ficatoriis, non neglecta decente diaeta, adpare-
bat purpura scorbutica, (b) & visus aliquan-
tis per restituebatur, hucusque amissus; sequen-
ti

ris postea subitanee, abundantes denique, & vis vi-
di, per coryzam exitum adfectantes, & versus caput
iam pulsi humores has peperint miserias. Quod au-
tem eiusmodi humores noxii, oculis tale possint ex-
citare damnum, exinde patet: Quoniam oculi, vt
partes praecaeteris delicatiores, aeri sunt expositi
liberiori, & per lachrymas & curas anxias corpori
humano adeo infensas, sexunque sequiori maxime
solennes, per sudores inconsuetos, per nendi artifi-
cium laboresque nocturnos, per pigmenta & colo-
res acres, quibus pannus vario modo infici tingique
solet, per fumum culinae proprium, & quae sunt
alia hoc aliquid Pacientia, oculi facile & grauiter
laeduntur. Suffusio autem graece *ὑπόχυτα* vel
ὑποχυτις dicta; & impuritas humoris aquei, ab
impuro nutritio succo vel sero sanguinis originem
ducens. Dantur diuersi huius mali gradus, quo-
rum primus *κατ' εξοχην* dicitur *Suffusio*, vel ima-
ginatio, vbi aegroti varia, eaque ratione magnitudi-
nis, figurae, quantitatis diuersa oculis obuersari sibi
imaginantur; Secundus: *Nebula*, seu gutta, & tunc
aegroti vident quasi per nebulam aut aquae guttam;
tertius tandem est: *Cataracta*, qua humor aqueus
instar pelliculae adparet, & ratione impuritatis mo-
do alba, modo grysea, coerulea, viridescens, flava,
ferruginea adpellatur AVTOR.

(b) De cura quidem in principio secundum indican-
tia legitime instituta, & continuata, meum non est
vt iudicem, modo purpura scorbutica, vt critica, ad
iustum non solum peruenisset eruptionem, sed &
plenariam exsiccationem. An vero haec naturae,

an

ti tamen modo atque ratione; vt primo omnium obuiam euntium staturam humanam, quoad partes omnes, excepto capite, cernere potuisset; deinde vero nunc memorata partialis soluebatur obscuritas, vt mox quasi per nubeculam videre, mox iterum muscas, aranearum tela, floccalos, & id genus alia, qua Graeci φάντασμα dicunt, oculis oberrare adfirmaret. Status demum affectus notatu non indigni paulo post in sequentem mutatus est. Nimirum aegra obiectum quoduis, depresso oculo dextro, sinistro adcuratius contemplans, vnde in peripheria distincte & lucidum, in medio vero, vel centro, formae rotundae maculam quandam nigram pro diuersitate tamen obie*

an medici, an aegrotae culpa fieri non potuerint, aliis determinandum reor esse relinquendum, disesse tantum sufficiat, quod de patientis sanitate desperandum fuisset minime, si positis circumstantiis allegatis, quilibet horum peregisset, quae fuarum fuisse partium videntur. Nihilominus tamen mutabatur, quod sensum quodammodo, affectus hucusque morbosus, aegrota nimirum visus vitium multum inuminutum laetabatur, sed breue oppido gaudium erat, nam paulo post obseruatum est, affectum non oculum, sed locum tantum priorem, humorum scilicet aqueum reliquise, & in nouum eumque priori longe periculosiorem, neruum nempe optimum migrasse, ibique nonnullas fibras nerueas officio suo impares reddidisse. Tali in statu, attentiori, altiorique indagine haud indigno, meum circa Anni 1724, initium efflagitauit consilium, auxiliumque, AVTOR.

obiecti contemplatiū (ratione scilicet distantiae eiusdem vel maioris vel minoris) maiorem minoremque videt. Verbi gratia: Aegrae obiectum contemplationi destinatum sunt haec verba: VAE MIHI MISERAE! Si igitur pupillam oculi sinistri in verbalum *mibi* dirigit, illud plane non, sed orbe rotundo nigro tectum, reliqua vero *vae aut miserae* clare & distinete videre, legereque potest; si pupillam in verbalum *vae aut miserae*, vel hoc vel illud dirigit, tunc vel hoc vel illud obscuratum, reliqua vero plena luce radiantia obseruat. Parratio, intuitu tamen maculae obscurioris rotundae alium situm occupantis, aliquo modo diuersa, est oculi dextri: Qum enim oculo sinistro clauso, obiectum dextro compleetur, macula memorata non adcurate ante pupillam restitans, sed quodammodo versus canthum interiore, nimirum versus nasum propulsa reperitur. Si exempli causa verba: BONE DEVS ME MISERAM! iubetur legere, tunc verbum: Deus oculi pupillam in medium omnium verborum dirigens, nunquam vidit, reliqua vero satis clare & perspicue, semper tamen maculam rotundam nigram, illamque obscuram, & ratione distantiae, cum supra dicto oculi sinistri adfectu conspirantem obseruat. Caeterum externus adspectus neque ratione tunicarum, neque humorum vtriusque oculi aliquod vietum latitans prodit. Illud etiam curiosa obseruatione & profunda meditatione dignum

(exi-

existimo, quod ægra vnum idemque obiectum, oculis ambobus vna vice considerans, omnia in eo clara & distincta, neutiquam vero, vel aliquo tantum modo, & vno & alio loco mutila, aut vndique macula tecta, sed omnis obscuritatis expertia adpareant, vitiumque ideo alterius oculi, ab alterius parte sana & illaesfa corrigitur. (c) Ipsa aegra causam genuinam mali agnoscit

(c) Ex adductis satis superque igitur adparet malum in praesenti statu, non quidem quoad causam, quamvis quoad sedem, quae nunc nervis opticus censetur, multum diuersum esse a principii conditione. Oculi enim clari & perspicui; maculae rotundæ & obscuræ, variisque ratione loci modis variantes, constantes tamen, quanquam interdum clariiores evadere viderentur, demonstrabant, obiecta quidem in tunica retina, delineata ab anima non quoad totum clare & distincte percepta, sed quasi maculata fuisse iudicata, vid. ABRAH. VATERI *Dissert. de visu dimidiato & duplicato.* Utrum itaque in praesenti casu nuda prescio, an obstruacio neruorum opticorum in causa fuerit, res est, cuius ulteriorem investigationem de lana esse caprina minime credo. Utrumque vero suum conferre posse Symbolum, sequentem in modum probare conabor. Ex morbi videlicet historia clarum est, multos adfuisse ad caput deriuatos humores abundantes, viscidos, ut sanguis ægrotæ spissus, viscidisque & mucosis succis imbutus, præferuationis & curationis gratia per venæ sectionem subinde eductis, & deinde coryza præfens testantur. Si iam ergo secundum tritum medicorum brocardicum concludere liceat: *Qualis cibus, talis chylus, qualis porro chylus, talis sanguis & reliqui succi, qui inde generantur, ad quos etiam neruorum opticorum nutritius, immo ipse liquor*

neri

scit coryzam retropulsam. Quum enim 1722. propter negotia consueta, ad nundinas Schmidebergenses, quibus a S. Johanne nomen est,
pro-

nerueus pertinent, palam fit, hocce malum tam pressione, quam obstructione excitatum esse. An etiam hacce interceptione motus succi neruei, per neruos opticos, secundum hunc casum, fibrarum nervorum opticorum, absolute fuerit necessaria decussatio, atque exinde vnicus alteriusque cerebri haemisphaetii, orta fuerit hemiplegia, se quentia mihi obstant. Si enim in casu nostro paralyfis tunicae neruae retinae, in oculo dextro orta fuisset ab obstructione vel pressione nerui optici, in hemisphaerio dextro cerebri, tunc necessario, vi decussationis fibrarum in latere dextro, oculi sinistri affectus paralyfeos obseruari potuisset, quam tamen secundum relationem, macula obscura in oculo sinistro, medium semper oculi modo dicti occupauerat locum; & vice versa, si hemiplegia vel paralysis talis in hemisphaerio cerebri sinistro adfuisset, tunc iterum vi decussationis in latere sinistro, oculi dextri, eiusmodi effectus siue obscuratio obseruari potuisset quam tamen macula illa rotunda non totam oculi dextri sinistram partem, sed tantum partem quandam & quidem rotundam versus interiore canthum occuparet; vt taceam, quod nunquam vnius alteriusue oculi pars dimidia totalis, sed tantummodo vnius alteriusue oculi, rotunda quaedam, peculiariter tantum locata, & ratione distantiae maioris minorisue etiam maior minorue obseruatur obscuratio. Firmiter igitur mihi persuasum habeo, causam huius rei, nihil aliud, quam pressionem & obstructionem quorundam tantummodo tubolorum in nervis opticis, vtriusque hemisphaetii per accidens, talem formam rotundam formantem fuisse, qualemque opinionem, tam ex combinatione nervorum opticorum versus sellam equinam quam

proficisciatur, durante coryza, amici cuiusdam fauorem conciliandi gratia, per aliquot dies Hirschbergensibus vteretur thermis; quibus non solum quasi per incantamentum, fistebatur coryza, sed & mox in ipso vsu grauissimi oborti sunt capititis dolores. Iter interea erat continuandum, mutationes tamen pro tali subiecto huius loci, caloris & frigoris subitaneae, etiam in media aestate solennes, minus proficuae, quo etiam factum est, ut posthaec de grauitate capititis eiusque obstructione, cum supra adductis visus conquereretur vitiis. Moxendum etiam id, quod aegra, antequam iter susciperet, per longum temporis interuallum obstructionem capititis nariumque, & mucum in eis tam viscidum obseruasset, vt etiam ad stan-

quam decussatione fibrarum in nervis opticis explicandam esse. Hancce meam sententiam non minorem in modum confirmat illud, quod aegra vndique circum maculas omnia clare & distincte, ambobus vero oculis coniunctim adhibitis omnia perfecta & sine maculis lucida videre potuerit. Si igitur secundam Clarissimi cuiusdam Angli, BRIGGSII mentem, totum visionis negotium peragitur aequali fibrarum tensione in nervis opticis, & tensio eiusmodi, etiam fibris obstructis, denegari neutiquam potest, quanquam ex supra dictis circumstantiis, representatio obiecti maculosa peragitur; nihilominus tamen fieri potest vt fibrae correspondentes alterius oculi, in fano constitutae statu, obiectum oculis ambobus contemplatum, clare distincte, & ad omnem partem sistant perfectum, & sic vitium unius, alterius integritate suppleant oculi. AVTOR.

stantes inter eius euacuationem animaduertere potuerint capitis strepitus (Es knasterte alles im Kopfe, wenn sich die Patientin einmahl die Nase schneuzen wolte) Ex his, colligi potest: Adfectum in principio fuisse suffusionis specimen nebulam dietam, quae tamen sensim sensimque soluta fuisset, sedem tamen radicalem in nonnullis nerui optici tubulis tam firmiter posuisset, hosque totaliter obstruxisset, ut exinde ortae essent rotundae & nigrae maculae, haecque mala omnia a causa immediata, nimirum lympha viscida in capite iamiam haerente, tandem in nerui optici tubulos deriuata, ibidem que firmiter se insinuante, per coryzam quidem solutionem & exitum adfectante, & propter visciditatem impedita. Absumebantur enim partes volatiles sanguinis in thermis istis, pori deinde totius corporis, ob aeris mutationem subitaneam, praeprimis ob frigus inconsuetum rursus claudebantur, & sic humores viscidi vehiculo priuabantur, adeo ut viae ad deriuandum hos extra corpus redderentur plane inutiles. De Cura, tam a Me hic loci, quam ab aliis medicis D.*** vbi tandem finem miserrimae sollicitudinisque plenae vitae, instituta, multum addere instituti ratio & pagellarum vetant angustia, euolui tamen potest, in dem Medicinischen Brief Wechsel Part: III. pag. 131. & Part. IV. pag. 214.

SCHOLION.

Vix totius humani corporis organon, tot actata

ac tam diuersis & santicis obnoxium est adfectibus,
quam omnium artificiosissime structum, oculus.
Quos etiam, aliorum morborum peccantis mate-
riae metastases, in oculis funestos excitant effectus,
quotidiana loquens experientia testatur. Ne ve-
ro extra orbitam vagantes obseruatorum Sorinia
expilemus, amplumque vitorum morborum cata-
logum nectamus, ad libros ubique obuios LE-
CTORES alegandos esse censemus, solumque
nostrī D.D.GOTHOFREDI HENRIC. BVRG-
HARTI *Satyris specim. II. Obs. I. pag. 9.* Obseruationem
de Cataracta post lotum caput ad abigendam coryzam, su-
bito exoriente, in memoriam reuocamus qua patet,
quam periculosum sit, **Coryzam** balneis turbare,
quamque facile inde oriri soleat materiae peccantis
versus caput, praesertim oculos, metastasis.

Altioris deinde, ut recte monet Clariss. AV-
TOR, indaginis est, & difficilioris explicationis,
Phaenomeni descripti, maculam illam rotundam,
nigram, aliter in sinistro aliter in dextro sese ha-
bentem oculo, concernentis ratio sufficiens. Non
displacet illa ab AVTORE adducta, cui, si quae-
dam ab Anatomicorum sedulitate experimenta pe-
tita combinantur, multum lucis adfundit queat.
Notum ex arte ressecandi putamus: Nervos Opti-
cos oculi bulbo ita esse insertos, ut pupillæ non
e diametro oppositi sint, sed illud insertionis pun-
ctum, in tertia parte distantiae, ab angulo interno
oculi in Diametro metiente oculi latitudinem, hae-
reat. Unde axis opticus non cadit in locum hu-
ius ingressus, sed multum inde recedit versus an-

gulum exteriorem. BOERHAVE *Institut. Med.*
de Visu §. 525. pag. m. 240. HEISTER *Anatom. not.*
 53. pag. m. 261. Deinde Locum insertionis neruo-
 rum, omni videndi potentia spoliatum, id est ocul-
 lum in hac areola coecum esse; Quod praeter
 MARIO ITUM *Nouv. decouvert. touchant la Vue,*
 BOERHAVSVM *Lib. cit. §. 543. pag. m. 249.*
 STANCARIVM *in schedis Mathemat.* pag. 38. Ex-
 cell. HEISTERVS *Loc. cit.* nouiter excogitato ten-
 tamine demonstrauit. His praesuppositis, vero
 admodum videtur simile: Lentem chrystallinam a
 materia suppressae coricae, versus caput & oculos
 migrante, ex consueta sua sede ituque esse pressam,
 motam, vel quocunque modo paululum compul-
 sam, adeo ut, profligata feliciter suffusione, im-
 mutatus paulisper lentis situs restitauerit, & axis
 opticus, vel potius coni, ex radiis lucis per lentem ad
 perpendiculum fractis, facti, qui & visorius dicitur,
 apex, in illam oculi visu expertam, id est coecam
 areolam inciderit, sicque maculam nigram, rotun-
 dam, & reliqua in textu enarrata phaenomena
 produxerit. Consectaria coeterum non alia pos-
 sunt elici, quam quae expressa sunt in *citata D. D.*
 BVRGHARTI *observatione*, vnde LECTORES
 ea repetere non grauabuntur. COLLETO-
 RES,

OB-

OBSERVATIO III.

D.GOTHOFREDI HENR.BVRG-
HARTI, Medici Wratislavienfis.

*Cataracta Grysea, ex tertiana febre
per Chiae corticem suppressa, ortum ducens.*

§. I.

Quadraginta & quod excurrit annorum Virgo nobilis, habitu corporis strictiori macro, praedita, cataméniorum negotium ordinario quidem termino, sed in oppido parca quantitate, sanguine coloris atri, spisso exsudante, experta, vi tae dedita sedentariae, potu vtens parco, mente ad adfectus paululum vehementiores prona, uno verbo natura oppido sensibili gaudens, *Febre* ante biennium fere, Ao. scilicet M.D.CCXXXVIII. corripitur *tertiana*, legitima, nullo peregrino stipata symptomate.

§. II

Huic ut mederetur Medicum advocat, qui corpore vix ac ne vix quidem praeparato, febrem ipsam pulueribus sat multis ex chiae cortice paratis, sibi admodum Familiaribus suppressimere tentat. Quod tamen non prius, nisi post XXX, imo plures, demum absuntas, easque satis lautas doses effecit.

§. III.

Sub ipsa iam cura patiens de Vertigine, Cephalgia, & quod ipsi terrorēm prae caeteris incusit, Visus debilitate, indies augmenta capiente, vehe-

B 2

men-

menter conquesta, imo sancte mihi postmodum testata est, se ad eurassisime obseruasse, quod post singulos deglutitos Chanae pulueres, oculorum acies ususque, de die in diem notabiliter hebesceret & periret.

§. IV.

Febr demum fugata (licet quod visum amitteret, probe experiretur, puluerum dictorum tam usui, quia morbi impatientissima fuit, diligenter insisteret) spem sibi concipiens, medicum morbi domitorem, etiam fore visus restitutorem, cum de noui Symptomatis, imo morbi curatione consultit, sed loco remedii miserum solatum retulit: *Sibi patientia opus esse, nam morbus, quem CATARACTAM GRYSEAM merito vocauit, quo nunc tentaretur, omnem respuere, praeter acam medelam.* Imo quam non obscure in Chinam infelicitis curationis causam coniicerer, medico adeo stomachum mouit, ut ipsi in faciem diceret: *Anne consultius putaret coecare vivere, quam oculis sanis diem obiisse supremum?* Obs nicht besser wäre blind leben, als gar sterben.

§. V.

Præsentia vero, quibus vexatur, & ab eo tempore quo febris enarrato more suppressa fuit, conflictari coepit, sunt: *Plenaria* utriusque oculi, ex cataracta grysea, in flauum colorem paululum inclinante, coecitas; *Alui*, non quidem alias ipsi familiaris segnities, sed *pertinax*, & ultra ostium communiter durans, *Obstructio*; *Hypochondriacum* plus minus interdum remittens *inflatio*, quae ipsi passionis hystericae nomine venit; *Ventriculi intus*

helicis

becillitas, adpetitus detectio & ciborum fastidium; Ru-
etus mox acidi, mox nidorosi, & quae omnium ma-
xime intolerabilia videntur, Cephalalgia fere conti-
nua, & tanta interdum augmenta capiens, ut plu-
res noctes insomnes ducere neceesse habeat misera,
& inde omnibus spoliatur viribus, qui sane exigui
supersunt, ac Dolor saepe reuertens Oculorum pro-
funde in balbis lancinans.

§. VI.

Rebus ita constitutis curae egomet admotus sum. Quid autem boni efficiendum sit in corpo-
 re, affectibus tam graibus, in habitum iam iam
 degeneratis adficto, & doloribus fere exeso, facie-
 le diuinare poterit. Optimum adhuc leuamen
 praestant (de plenaria namque sanitate oculis post-
 habitis, ipse cum aegrota despero) praegressa Ve-
 nae sectione, clysteres aluum leniter officii sui ad-
 monentes, Mixtura diapacico-resoluens, ex prin-
 cipiis salinis mediis & saponaceis constans, pulue-
 res salini antispasmodici, regulo Antimonii medi-
 cinali maritati, subiunctis interdum, pro re nata,
 blandis tonicis martialibus, imo & lenioribus nar-
 coticis, si dolores tam in capite, quam oculis extra
 orbitam vagare, & atrocitate nimia persequi fo-
 lent aegram. His simul iniungitur, quantum
 stomachi imbecillitas ferre potest, potus multus,
 ex aqua lacte mixta optime conducens, cibus eu-
 peptus mollis, aluum lubricum reddens, ut pru-
 na cocta, prodium vitulinae carnis, iuscula aue-
 nacea, hordeacea, & eius generis alia; motus etiam
 corporis; neque pedum frictiones, & cum aqua

tepende lotiones, pro aequali humorum in omnes partes distributione excitanda, omittuntur, omnia interdum spe maius leuamen adferentes.

§. VII.

Chinam cataraætae ausam dedisse in propatulo est, quem deplorandum effectum sic mihi concipio: Quum iste peregrinus cortex adstringat (vt adeo parum a querno, rusticorum ille euporisto, aequè detestando distet) quo etiam vis illa febris fuga deriuatur, consequens est, vt talis adstrictio circa viscera infimi ventris sese quam maxime exsiftererit, & sic fortior em sanguinis & humorum versus superiora, imprimis caput, impulsum, maiorem deinceps ibidem congestionem, moramque diuturniorem (cui prae caeteris humores ad spissitudinem proclives oppido fauent) causauerit. Unde deinceps deriuandus est sanguinis, tam in meningum sinibus, quam in exiliissimis vasculis, ex quibus lens chrystallina texta reperitur, Conf. HOVIUS de Circul. Humor. in ocul. pag. m. 45. seq. Edit. Lugd. Batav. 1716. 8vo infarctus, & inde tubulorum dependens ruptura, vel alio quocunque modo facta destructio, vno verbo CATARACTA. (*)

(*) Hanc non alio loco, nisi in ipsa lente chrystallina querendam esse, praeter quosdam ophthalmiatros Gallos, Aliosque, uberrime demonstrauit, princeps sane, inter Germanorum nostri aevi anatomicos, Excell. nempe HEISTERVS Tractatu: De Cataracta, Glaucomate & Amaurosi, Altori in octaua forma 1720. secundum edito, & ibidem Anno 1717. in 8vo, contra WOLHVSII, ocularii Parisiensis Dissertationes ophthalmicas (quas LeCERF Iunior Frft ad Moen. lati-

latinitate donata 1719. in gvo recudi fecit) seu potius
cauillationes emissā *Apologia*, & demum ibidem 1719.
in gvo luci expositis publicae *Vindiciis*.

§. VIII.

Ut autem pleniorē Historiae fidem faciam,
praeter Coecitatem post febrem male curatum, non sine
ratione abusui Chīnae imputatam, cuius Collectanea
Wratislauiensia die Breslauer Sammlungen 1723.
Mens. Septembri, Claff. IV. Artic. X. pag. 323. seq. men-
tionem iniiciunt, alium ab eodem medico profe-
ctum casum, paucis recensebo. Sexus sequioris
persona, ex illustri Comitum de W *** stirpe ori-
unda, febre diu vexabatur lenta in hec ticeam in-
clinante, parumque auxili ab ordinario magnae
famae medico reportans, se consiliis aliis, & quidem
Medici supra notati, submittit. Hic, morbis ar-
mis sibi consuetis, Cortice nempe Peruviano debella-
re, & domare tentat. Euentus tamen expectatio-
ni respondere noluit. Nam aegra loco leuaminis,
post paucas doses adsumtas, in oculorum ophthalmi-
am, intolerabilibus doloribus stiparam, simulque
ingentem palpebrarum tumorem incidit, a quo deinde,
missotam noxio & infido remedio, ad consilia prio-
ris medici configuiens, liberata est.

§. IX.

Satis omnino mirari, cum omnibus circumspe-
ctis practicis nequeo, quod medici per tot experi-
menta de Chīnae in febribus damno conuicti, ab hoc
vix aliter, quam per imposturas agente Qæphano,
cons. Excell. GOELICKII Præceptoris alternuni
devenerandi. *Dissert. de Impostura Corticis Peruviani*
Frfti

Frfti 1727. habit. non abstineant, aut si etiam adhibere velint, sine omni cautela & circumspectione id promiscue, nulla subiectorum vel morbi indolis habita ratione, omnibus deglutiendum praebeant. Deum testor immortalem, me intra hoc decennium quo medicinam facere mihi concessum est, sexcentis imo longe pluribus Febricitantibus operam nauasse, nec tamen quatuor uncias chinæ consumfisse, licet & neminem sciam, quem methodime & medendi percepit. Sed de infelici, temerario abusu CORTISPERVVLANI in febribus B. STAALII. in not. ad Satyr. Haranean. cap. XXVIII. pag. 228. verba sunt si EXPERIENTIA ipsa loquens, non auditur, frustra est verbuſ certare. Interim ego certe quorumlibet ADSTRINGENTIVM parem omnino culpam facio & declaro. Verum quidem est medicorum plurimos huic simplici plus aequo tribuentes, multa iactare, ad fucum eo nitidius colorandum, de felici successu experimenta. Sed cum eis mihi non aliter videtur comparatum esse, quam cum ollis fortunae, vbi sortes pingues extractae, id est lucrum secum reportantes, sociis Tympano & Tibiis per Forum & plateas circumgeruntur, quae autem iacturam inuehunt, alto silentio premi solent. Vera esse BOHNII de officio Med. Cap. II. pag. 29. verba, lugubri haud raro experientia docebuntur: Quum attendimus in experientis, inquit, quae HYPOTHESI NOSTRAE fauent, haecque miramur & depredicamus; negligimus aut fugitiuo saltem oculo intuemur, & QVASI NESCIRE CV PIMVS, qua ab eadem declinant. Nihil vero huius farinæ medici demum lucrantur aliud, quam conscientiae stigmata, & artem ipsam, non plebi modo

modo, sed & sapientioribus reddunt exosam,
 vt HARVES expressa in satyr. Ars curand. morb.
 expectatione Cap. XXIX. pag. m. 220. Sententia to-
 ti ordini obiciatur. Qui Sane ars medica, in-
 quit, prout ejus regulæ in Praxin usumque a medicis
 ducuntur, esse cara est, cum ipsa & medici in eo-
 dem pendeant aequilibrio, quo Spuria Turcarum In-
 dorumque religio, & Mufti Bramanique, quorum ni-
 hil refert an illa vera an falsa fuerit, modo huius
 ope plebi, optimatibusque dominari, & ex illis vi-
 Etum lautiorem, spes, honores & obedientiam fibe
 comparare possint quorum potiendi spvt decidunt, vix
 est possibile, quum religio ista falsa illis vi & lege
 sancta imponatur, atque eidem assuetudine & pa-
 rentum exemplis a teneris annis adangescant; con-
 similiter & ars medica, ad magnam partem falsissi-
 ma (præterquam enim uomitoris & purgantibus
 male concinnatis, peius praeparatis, & per saepe pessi-
 me applicatis, abdomen euacuare, morbo Gallico la-
 borantibus mercurialibus non nunquam baude rite
 adaptatis ptyalismum mouere, pluribus ad mortem
 usque, opio narcoticisque somnum & non raro sempit-
 ternum miseris conciliare, & CHINCHINA intem-
 pestiuus PAROXISMOS SUPPRIMERE) vix quid-
 quam certi, auxiliis chirurgicis exceptis, præstare
 valent medici, vi & lege sancta, quae apud plures
 gentes stabilita est, prout liquet e privilegiis Collegiis
 Medicis concessis, quae gratia præfata abutentia,
 praxin in monopolium vertunt, & omnium vitam,
 opes, & obedientiam coecam ipsorum dominationi &
 iugo subigunt, adeo ut sit commune adagium sc. Va-
 lo mori sub manibus doctorum, ceu eruditorumq;
 quasi dicere velint, malo a lanista iugulari, quam
 a laniione.

§. X.

Vt in viam, ex qua sumus paululum digressi,

B 5

re-

redeamus iterum, quaedam subiecte lubet
Confectaria; Quorum *imo* esto; Chinam fe-
 bres intermitentes quidem supprimere, sed ra-
 ro absque subsequente noxa, & morbo succe-
 daneo. II. Adstringentia, inter quae China
 omnino praeclarum locum tuetur, corporibus
 sensibilibus, macris, funestiora sunt, quam aliis.
 III. Chinas nostrum clima fauere non videtur;
 IV. Strictis per remedia adstringentia, chinam
 imprimis, infimi ventris visceribus, faciles
 fiunt versus caput congestiones; V. Chinam
 inde inferre solere patet, graues cephalalgias,
 aurium fusarros, & id genus alia; VI. Quo
 minus praeparatum est, tale ut supra descri-
 ptum est corpus, eo grauiora excitat usus chi-
 nae damna; VII. Chinam inde oculorum mor-
 bis variis, coecitati, ophthalmiae, Cataractae,
 Amaurosi ausam praebere posse sequitur. VIII.
 Imo infidum hoc remedium, tam medicum
 quam aegrotum decipiendos aptum, corpus
 tenerum, sensibile, largis praesertim dosibus
 exhibitum ita peruerit, ut restitutioni in in-
 tegrum vix interdum locus superesse videa-
 tur, IX. Vnde verum illud esse dictarium
 constat: *In Medicina semel tantum peccare posse.*

OBSERVATIO IV.

D. GOTTLIEB OELSNERI.

Medici Wratislauiensis.

Vir circa glandem Penis bifurcatus
cum Bubone benigno.

Milles quidam 1735. & 1736. in castris Rhe-
 nanis

Gloriosissimo nostro Imperatori CAROLO VI. equo merens aetatis XXII. annorum, Bubone benigno laborans, Chirurgi castrensis aliquis medelae se commendauit. Quem militem quum oculari inspectioni subiiceret, conditionemque bubonis inquireret, mox scrotum duobus testiculis constans, penem vero circa glandem *bifurcatum* obseruabat; ergo scire cupidus, an & quomodo vrina, genituraque virilis excreneretur; militem vrinam reddere iussit, moxque illam, per dextri glandis orificium Lit. A. (Conf. Tab. I. *huius specim.*) profluere animaduertebat. His peractis in utroque glande mastupratio instituebatur, sub quo actu etiam sperma ordinarie coctum per sinistri glandis orificium Lit. B. eiectum est. Homo erat adhuc iuuenis, temperamenti vegeti, atque voluptuosus, ad mulieres tamen comprimendas, qui membrum virile genitalibus earum immittere nequibat, inhabilem se gessit. Hoc quamuis obstante, tamen absque ullo congressu venereo, bubone benigno in inguine sinistro, quo loco sperma excrenebatur, adfectus est. Aperto vero bubone, ex quo ichor sanguino latus effluxit, pristinae sanitati iterum restitutus fuit.

SCHOLION.

In Specimine III. Satyrar. obs. II. suppresso
licet nomine meo, de pueru Judaeo quodam,
genitalibus monstrosis praedito differui;
nunc

nunc virum circa glandem penis bifurcatum
in lucem produxi. Huius generis monstrosa
conditio, Naturae perscrutatoribus quidem
nihil noui, tamen aliquid peculiare detexit.
Equidem Celeb. SCHENCKIVS Lib. IV.
de Partib. genital. in specie, & quidem de Pene &
praeputio obs. IV. pag. 524., ut & SINIBALDV
in Geneanthrop. Lib. III. Tract. I. Cap. XVII. pag.
524. ex VESALII Lib. V. de Corp. human. fabric.
Cap. XIV. meminit cuiusdam Juris Studioſi ac
e nobili Symionum apud Forojuilienses fami-
lia nati, qui in glandis apioe, duos obtinebat
meatus, quorum vnuſ quoque Vrinae, alter
vero ſeminis excretioni inſeruiebat. In no-
stro vero milite peculiare quid, nempe duo fe-
re membra virilia, humores diſtinctos excre-
nentia, oculis ſeſe iſtunt. In ſupra allegatis
SCHENCKII obſervationibus, caſum quidem
cadaueris cuiusdam in praefentia JOH. JA-
Cobi WECKERI, publice diſecti, dupli-
cique pene praediti, annotatum legi; de du-
plici vero, tam vrinae quam geniturae virili,
destinato meatu, nullam huevſque obſeruauit
mentionem. Quod vero non ſolum antiquioribus temporibus huiusmodi bipenes viſi
fuerint, ſed & noſtris diebus cernantur, tam
noſtro exemplo probatur, quam ex ſe-
quenti historia liquet. Excellentissimus ae-
que ac Experentifimus, Celeberrimusque
Vratislauiensium Medicus Dom. D. JOH.
GODFR. HAHN, Acad. Leopold. Nat.
Cu.

Curiosus, Patronus meus summe deuenerandus, mihi retulit, quod ante fere biennium in Vrbe Suidnicensi inter milites nouitios, instituta more consueto partium externarum visitatione, vel inspectione bipenis reperitus, & quamuis secundum SINIBALDI
Geneanthr. Lib. II. Tract. I. Cap. III. pag. m. 105.
adductam sententiam, binirum praestare omnino debuisse, pro inhabili tamen declaratus fuit. An vero inter sexum sequiorem eiusmodi monstrosae formationes inveniantur, hanc quaestionem SINIBALDVS *Loc. cit. ex JVLIO OBSEQVENTE*, exemplo de muliere quadam quae geminatam vuluam obtinuit, facile soluit. Propositi mei non est, multas Auctorum historias consarcinare & excerpere, neque generationis & formationis modum horum monstrosorum genitalium demonstrare, quoniam iam *Spec. III. Obs. II. Satyr.* vbi formationem genitalium pueri iudei explicaui, de horum possibiliitate breuibus differui; Sufficit itaque casum nostrum orbi literato communicasse. Quod vero homines innocentes, atque ab omni suspicione Venerea liberi Bubonibus quoque inguinalibus adfici possint, nemo Medicorum Practicorum inficias ibit, quoniam de huius rei veritate Auctorum relationes luculenter testantur. Bubones itaque diuiduntur in Benignos & Malignos; Secunda species nostrum subiectum non adtinet, prima vero, qua miles noster adficietur, dixer.

uersis causis originem suam debet; Quandoque enim Bubones superata Febre acuta per metastasis ad superficiales hasce glandulas inguinales deferuntur, & morbus per hanc a Natura factam reuulsionem, & materiae peccantis ex sanguine excretionem facile soluitur. Conf. D. JVNCKERI *Conspct. Med. Praet. Tab. XXI. pag. m. 155.* & D. HEISTERI *Chirurg. Part. I. Lib. IV. Cap. VIII. pag. m. 259.* Alii Bubones ex terrore exsurgunt, de quibus D. HVLDR. PELAR-GVS im dritten Medicinischen Jahr = Gange pag. m. 308. exemplum Bubonis benigni non assimilis Venereo, enarrat, & quidem de quodam, qui sibi digitum absque omni sanguinis stillicidio aut profluvio, securi praeciderat & perterritus Lipothymiam per horae spatium durantem passus, postque hanc, ex repentina sanguinis & humorum stasi, Bubone inguinali magno affectus fuerat. Quidam vbi Natura, sanguinis abundantiam imminuere, humores impuros resoluere, & per laudabilem metastasis e corpore eliminare intendit, fere nullam manifestam, vel externam causam procataroticam agnoscant, sed sanguinem abundantem humoresque impuros viscidо-mucoso-cacohymico = falsos pro fundamento habent. Conf. FABRICII ab AQVAPENDENTE *Wund-Arzney Part. I. Lib. I. Cap. 21. pag. m. 102.* Quid vero in nostro milite pro causa genuina habendum sit, omnino fateri cogimur, nobis adhuc ignotum mansisse; ex superioribus tamen facile

cile inclarescit, quod hic Bubo ex causis internis facile generari potuerit; miles vero ab omni suspicione mala sit absoluendus.

OBSERVATIO V.
D. GODOFREDI GUILIELMI
MVELLERİ Physici Olauiensis.

*Steatoma ob Loci & contentorum
varitatem mirandum.*

Viri huius loci, honesti uxor, quadraginta annorum, plurium iam liberorum mater, grauida iterum hoc anno (intellige 1737.) facta per totum gestationis tempus, quam optime valens, partui vicina, ostetricem prima Septembribus die ad se vocat, quaesitum foetus, vterique aperturam explorans, haec quidem, prout obstat, adesse, simul autem, in vagina molle quoddam, & digitis cedens obseruat obstaculum. Intestinum rectum, excrementis distentum rata, enema iniicit, & licet hoc multis eduxerit impuritates, tumor tamen ille non minuebatur, sed de hora in horam incresebat, de doloribus autem nullis altum silentium! Meum tandem requirunt consilium & ex relatione, ipse intestinum aduerso, acriusque enema suadeo, sed intestinum arête compressum ab hoc tumore nihil admittebat. Hinc rogant, ut aliquid ad partum promouendum ordinarem,

rem, quare praelibo duos pulueres, intra
quatuor horas sumendos, qui tantos excita-
runt dolores, ut ferendis illis vix par esset.
Tandem post duodecim horas, aliquid egredi,
sed in pudendis haerere & puerpera & obste-
trix sentiunt; Oculari vero adhibita Inspectio-
ne, massam aspectu horrendam obseruant,
ut tam obstetrix, quam matronae adstantes,
quid esset nescientes, plane obstupescerent.
Anxiis igitur, quid factu opus sit, deliberan-
tibus, ex improisu, massa informis vi foras
protruditur tunicata, magnitudine capitis in-
fantis recens nati, mollis. Interim dum foetus
mortuus hanc statim sequeretur, de hoc & se-
cundinis solliciti, massam seponunt, deinde ve-
ro maximo timore percussae, eam me absente
aperiunt. Quum autem puerpera, sibi ali-
quid ex pudendis propendere clamet, occur-
runt, & adhuc magis perterritae mulieres,
me aduocant & ad ocularem hortantur inspe-
ctionem. Qua in illarum praesentia facta, tu-
nicam densam rubram, digitii longitudine, ex
pudendis propendentem video, extus & intus
perforatam & cauam, sic ut obstetrix, per
hunc quasi Sacculum, digitis usque ad uterum
penetrare potuerit. Puerpera hanc propen-
dentem membranam aegre referens, separatio-
nem eum forsive urgebat, ego autem ne fieret
interdico, fore enim ut haec tunica superflua,
aut intro recederet, aut per suppurationem
abscederet, cui sententia etiam Chyrurgus vo-
catus

catus accessit, quia hanc tunicam, pér medietatem pudendi inferiorem, versus anum inuenit ad natam & euanuit etiam haec sanica propendens per suppurationem. Puerpera sic persuasa, Massae illius contenta lustro, & albam, ad citrinum colorem quodammodo vergentem materiam, caseo recenter expresso (frischem Quarge) similem, & quidem ultra duarum mensurarum quantitatem inuenio foetor aderat nullus, sed quod maxime mirandum *Pili*, toti huic massae interspersi & impacti erant (gleichsam eingekneten, oder wie gehas & et Stroh unter den Leimen eingetreten wird) tertiam circiter huius materiae partem aqua eluere iusfi, & quartam ex in obtentorum pilorum partem transmitto, de qua materia an veri *Pili* (a) vel ex lino aliquid, Naturae iudicent curiosi. Totam pilorum quantitatem elutriare animus quidem erat, tetricimus autem

Spec. VII.

C

foe-

(a) Veros esse pilos, non tantum Foetor empyreum aticus ex vinoſo-volatilis, quum igni admouerentur, reliquis animalium pilis familiaris testatur, sed etiam bonae notae microscopium confirmat id. Hoe enim lustrati, ad satis crassi straminis diametrum augentur, vt absque labore exterior cortex, hinc & inde quasi punctulis strisque distinctus, & interior cavitas, oculis usurpari clare & distincte queat. Caeterum digitum longi, admodum graciles, lanae ad instar molles, colore ex dilute brunno ad rufum accedente praediti, Chartam, qua huc usque inuolutos seruauimus, quasi pingui & oleoso quadam humore infecerunt. COLLECTORES.

Foetor, elapsō tertio die conceptus, id negabat. Puerpera rei nouitatem per territa, lochis etiam emanentibus, crebrioribus lipothy-miis, Febre erratica, tentabatur, adhibitis autem adhibendis, per dei gratiam & hæc Symptomata cessarunt ut nunc quotidia surgat comedat, & bene dormiat, ob ventris tamen dolorem & aliqualem in regione hypogastrica, dolorem & duritiem, auguem in herba latitare suspicor, & Tragoediae huius auide exspecto, quem Deus tamen clementissime largiatur felicem, euentum.

SCHOLION.

Augemus Observationes de pilis in locis in consuetis reperiri solitis, quas magno numero ex antiquioribus, nempe C A S P A R O & J O H A N N E B A V H I N I S , SCHENCKIO, HORSTIO, MARCELLO, DONATO, HOLLERIO, LEMOSIO, PANAROLO, TULPIO, aliisque collegit ad paralelum casum RHODIVS Cent. III. Obs. XLIV. pag. m. 141. seq. Cui consentit STALPART van der WIEL, Observat. varior. Cent. I. Obs. XCIII. Schol. pag. m. 383. & imprimis Cent. II. Obs. XXXVII. pag. m. 388. testiculum muliebrem quindecim annorum puellae pilosum describens, cuius quaedam uerba, Clariss. D. AVTORIS experientiae consimilia excerpamus: Acquabat ille, inquit oui anserini magnitudinem, atque intra eum ALB. Aquaedam reperiiebatur MATERIA, eius

ius substantia PVTREFACTO CASEO similis, PILIS permista erat plerisque Magnitudine minimo digito paribus, quorum etiam pars non parua, instar minoris capillitii, firmiter interiori testiculi adnata est parti. LAMZWEERDE in nitida Historia naturali molarum uteri c. II. pag. 15. non solum meminit tumoris cartilaginosi, testis puellae vndecim annorum, quindecim libras pendentis, qui carneas, osscas, imo & pilorum substantias ambitu complectebatur, sed & eundem additis tabulis delineatum curiosorum oculis fistit. Imo nisi nos omnis fallit memoria, nuper, in proemico Celeb. HEBERSTREITI *Dissertationi de Vsu Hydrargyri interno, habit.* Lips. 1735: addito, Ovarium intus pilosum descriptum legisse, & ingentem tumorem aere expressam vidisse recordamur. Quae quum ita sint, luce meridiana clarior existit, Steatomatis descripsi, quod merito molam vocare licet, generatio, idque nil aliud forte esse quam ouulum monstrosum, credi potest. Quod ad membranam seu Sacculum extra vulvam propendentem adiinet, in TH. BARTHOLINI *Histor. Anatom. Centur. V. Histor. IX.* pag. 14. seqq. aliquid non ab simile legitur. Nempe ex vulva, dicit relatio, Membrana carnosa, vuluae labiis interne vndiquaque adnata, imo pudendo muliebri circum circa ita connexa, ut instar marsupii præpendet. Foramen in principio conspiciebatur amplius. In congressu, ne marito monstrosa pars innotesceret, duobus digitis mulier intrudebat sine modestia vlla, ad corporis autem vehementiorem commotionem, aut frequentem deambulationem, longius

extra prominebat. Instante partu ab obstetricie interioribus vulvae parietibus tam apte affigebatur, ut ne minimum in foetus egressione impedimentum obiiceret; Forameu enim huius marsupii post intrusionem ossipubis ad sociatum tam concinne diuidebatur, ut duabus obstetricis manibus satis amplum relinquere spaciun. Non esse uteri prolapsum, crebri conceptus testantur. Verosimilius dices vaginae esse dilatationem, nisi frequentes abortus disuaderent. Forsan anatuitate superflua membrana sensim deinde ad fluentibus humoribus intumuit. Quae posterior posterior causa forsan membranæ, cuius gratia id excerptimus, nostro quidem iudicio, donec meliora nobis innotescant, prae reliquis conuenire videtur. Quamuis eiusmodi, praesertim de pilis inconsueto loco natis, Observations, Praxi medicae parum ut nullum Lucis ususque adsundunt, omni tamen cura posteritati conseruandas esse censemus, quia praeiudicio, imo superstitioni, apud vulgum ubique adhuc vigenti, quasi nempe pili ex locis inconsuetis extracti, certissimum essent & infallibile adfectus per incantationem, per magiam diabolicam, excitati, & per sagas nefando artificio in corpus humanum quasi iaculo immisfi, signum, unde etiam dici solent eiusmodi pili germanice ein Hexen-Schuss, obicem ponunt, quam per eas abunde demonstretur, insolita & rara, licet sint praeter naturam, non tamen esse supra, vel contra naturam, quae iudies, medicorum diligentia teste, operatur miracula, vt in explicandis eiusmodi phaenominis, profecto

fecto non opus est Diabolo, spirituum infelicitissimo, quem in naturae opera immiscere neminem decet, quam qui, aut summi numinis honori aliquid, imo multum detrahere, quasi a DEO impressas in naturam aeternae veritatis leges ad abiectionis causa, & omni (si Spiritualem excipis) potentia per Victorem, qui seipsum morti venenum, & inferno pestilentiam esse dixit, spoliatae, vel angustis satis cancellis circumscriptae creaturae, mali nempe genii, beneplacitum abrogare, mutare, peruertere, adeo facile, & non nisi per miraculum (quis autem tale quid diabolo adscribat) possibile esset; aut propriam stupiditatem aliud refugium & asylum ignorantiae non inuenientem atque Sanioris Physices & corporis, humani praesertim, constitutionis nescium animum, publico proprioque testimonio exponere non veretur **COLLECTORES.**

OBSERVATIO VI.

EJVSDDEM D. D. MVELLERI.

Fungus cadaveroſo ſuo foetore totum Coemiterii Atmosphaeram inquinans.

Praeterito mense Julio 1737. honesta sepelitur vidua chronico morbo denata, in coemiterio intra muros, nullum de foetore aliquo indicium praebens; Altero post funus perfectum die, omnes coemiterium inhabitantes

de intolerabili cadaueroſo conqueruntur foetore, adeo ut vix in domibus restitare potuerint, causam foetoris in cadauer heri sepultum coniicientes, quia quo propius quis ad hoc sepulchrum accesit, eo grauiorem percipiebat foetorem. Accersitur vespillo, & an sepulchrum non satis profundum, aut sarcophagus non bene clausus fuerit? sciscitur. Reges rit ille, profundum satis esse sepulchrum, terraque etiam bene tectum Sarcophagum ex ligno querno factum, pice liquata optime mutum, & reliquias eius commissuras arête clavas. Cadauer hinc putridum in vicinia adesse credentes, sedulo omnes angulos inquirunt, & tandem prape viduae tumulum, in loco, ubi ante septennium viduæ huius filius sepultus erat, *Fungum rugosum*, siue *Cauernosum* (Wie eine große Murchel) teterimi, intolerabilis; & foetidissimi odoris inueniunt, cuius particula ad me delata, cadaueroſo totam domum adeo infecit foetore, ut nisi statim remota fuisset, lypothymiam vix effugisse. Vespillo iam senex, tale quid, nisi hoc anno se bis obseruasse negat.

SCHOLION.

Fungum descriptum foetentem forte non alium fuisse quam quem DODONAEVS Histor. Stirp. Pempt. III. Lib. V. Cap. XXXV. pag. m. 482. seqq. *Fungum marinum* adpellat, & ex terrenorum ac serotinorum numero, *gravis* autem &

& foetidi admodum odoris, humorem vero intus contentum longe foetidissimum esse scribit. Haud procul a mari prouenit, in ipsis videlicet arenosis tumulis, iuxta illic nascens gramen Helnum, inter cuius stirpes frequentius, quam alibi reperitur. Nasci eundem etiam in Austriae hortis ex CAROL. CLVSII, testimonia ad DODONAEVM literis dato adaptaret, in quibus marcescens si non pluviae successerint, solum atro tingit colore. Viget fungus ille Septembri mense, vindemiae tempore. Vulgo dicitur apud Batauos Lingens eyerent id est Manium sine Daemonum oua. Conf. Figur. ibi express. HADRIANVS JVNIUS, Phallum adpellauit, & eum eleganti carmine, ultra LX. versibus constante celebrauit, quod integrum inseruit DODONAEVS Loc. cit. Nos tantum versus quosdam hoc maxime facientes reperimus. vers. 23. seqq.

Haec turget lenta, viscique sequacis ad instar
Concreta fanie, plumbum quae fusile adaequat
Pondere, sed VIRVS TETRVM & inamabile fint
dit,
Expirant qualem PVTENTIA STAGNA Mephitis.

& vers. 45. seq.

RVGIS peraratur, iisque
CANCELLATIM^{us} inter se coeuntibus, Inda
Bellua quale gerit tergus, vel reticulata
Tesserulis, qualem ostendunt asarota figuram.
Vertice supremo praeferit exile foramen,
Quod stipant auidae muscarum examina nigra,
Huditus hac VIRVS REDOLENS se effundit in
auras.

C 4

For-

Forte vñterior eius notitia in FRANC. STEERBECK, raro his oris opere, *Theatrum Fungorum* inscripto, occurrit, quod tamen ad manus nobis non esse vehementer dolemus, ideoque certe nobis non constat, quamuis admodum verosimile videtur, *onum Diaboli BEL-GARVM*, & *Fungum Olauensem foetidum*, vnum idemque esse. COLLECTORES.

OBSERVATIO VII.

Noctambalus.

JUuenis XVIII. & quod excurrit annorum, habitu corporis florido, eufarco praeditus, eminentissime plethoricus, haemorrhagiis narium satis largis, obnoxius, a pueritiae iam annis, ex lectu surgere, atque alto sepultus somno, totam pererrare solebat domum, lectumque deinceps factorum inscius repetit. Symptoma illud imprimis patiebatur aestate, aere vehementer calido. Interdum etiam ad lectum non reuersus, mox in atrio domus, mox in camera, mox sub te^cto, quod reliquum erat somni, humo prostratus, capessit, ut expergefactus admiraretur, quomodo huc peruerterit. Quum adultior esset factus, lautiorique diaetae admotus, singulis fere noctibus, in qua cum socio dorminit camera, circumerravit, scalas propinquas ascendendo & descendendo, item mox lento gradu eundo, mox cursu concitatо cur-

currendo, aliquot horas consumfit. Post venaelectionis usum, quem tamen admodum tumultuarie celebrauit, per quasdam septimanas, quietior reddebat, ita ut quidem in lectulo somnum capesseret, sed blaterando, imo & haud raro cantando, variasque melodias modulando, socio grauis esset, donec consuetam ambulationem iterum susciperet. Parentes igitur non sine ratione metuentes, ne aliquando somnum dicens ita turbulentum, praecipitia adiret, sicque per inopinatum ab alto casum sibi damnum inferret, praesertim quum ipse remediis congruis aduersus malum vti recusaret, quia alias ab omnibus partibus sanus erat, matritorium ipsi suaserunt, credentes, quod hunc modo sanguis superfluus, quem solum mali causam esse, facile sibi persuaderi patiebantur, imminui posset. Adnuit aeger sanus, quum sibi tale omnino pharmacum pree caeteris adridetur, & vxorem duxit iuuenculam, non inuenustam, cui quum per paucos menses coabitauerit, strenueque se virum, vt ex colore faciei anteo oppido florido, rubicando, nunc egregie pallido facile coniiciebatur, se praestiterit, & ventrem vxoris impleuerit, mens aegri olim hilaris, ad iocum, laetitiam, risum composita, pededentim mutari coepit, tristis, speculabunda, morosa, misanthropae euasit, paulo post ipse aeger perfectus fit melancholicus, & parum aberat, quin maniacus diceretur, & de aeterna beatitudine desperans autocheiriam

mini-

minitaretur, & quae sunt huius generis alia, ita
ut catenis vinciri eundem oporteret. Rediit
tamen iterum in gratiam cum sanitate, crebrio-
ribus, iisque satis largis venae sectionibus in
pedibus institutis, purgantibus subinde repe-
titis, & balneis ex aqua tepida, interpositis in-
terdum, si e re esse videbantur, parentum mi-
nis, & verbis seuerioribus. Jam optime va-
let, vitae generi deditus mobiliori, & laborio-
siori, quam antea, licet somnambulationis in
totum non expers.

SCHOLION.

*Si quid clarissima medicorum & physicorum torse
& fatigauit ingenia, inquit Illustr. HOFF-
MANNVS Dissert. de Somnambulatione; habit.
Halae 1695. §. 1. est certe phantasiae vis maxima &
stupenda in corpus nostrum, eiusque partes. Adae-
quatam huius rei cognitionem valde moratur pno-
nisi ac vinculi, quod intercedit, animae cum corpore,
Haud facile quis negare poterit, imperium humano
intellectui videri, qua ratione immateriale, intel-
lectual & abstractuum quid agat, influat, magna-
que efficacia operetur, intensam crassam ac immobi-
lem substantiam. Quae omnino verissima eo
praelertim fine, mox in limine posuimus, ut ad-
pareat, quantis difficultatibus morbi præsentis
prematur explicatio. Varia porro ejusdem ex-
empla leguntur passim apud autoribus, præser-
tim OÖELIVM RHODIGINVM Lib. XXX.
Cap. IX. SCHENCKIVM Lib. I. Observat. de no-
ctambal. pag. m. 74 seqq. JAC. HÖRSTIVM
peculari de noctambalis tractatu, Cap. I. pag. m. 169.
SENNERTVM Lib. I. Prax. Part. II. Cap. XIX.
pag.*

pag. m. 454. ZACVTVM LVSITANVM Lib. I.
 Prax. admirand. Obs. 47. GASPARVM a REI-
 ES Camp. Elys. Quaest. XXXVII. num. 48. pag. 462.
 HILDANVM Cent. II. Obs. LXXXV. ZWIN-
 GERVM Dissert. Sele&t. pag. 60-65. 68-70. 73. MI-
 ZALDVM Cent. IV. Memorabil. Aph. 75. NA-
 TVR. CVRIOSOR. Ephemer. Dec. II. Ao. V.
 Obs. CLXXXIX. Decad. III. Ao. V. & VI. Obs. CXIX.
 ALIOSQUE, quos magno numero citat. Ex-
 cell. MICH. ALBERTI Therap. Med. in annex.
 Prax: extemporan. Cas. XXXII. §. III. pag. 1142.
 Cenfer. etiam LEVIN. LEMNIUS Lib. II. de oc-
 cultis natur. miracul. Cap. V. pag. m. 163. Z A C-
 CHIAS Quaest. Medic. Legal. Lib. II. Fit. I. Quaest.
 XII. pag. m. 140. & citata Illuстр. HOFFMAN-
 NI Dissertat. §. IV. quae tamen pluri&ma parum
 ad naturam affectus explicandam facere viden-
 tur, quo etiam factum esse credimus, ut ger-
 manicum vocabulum Mondsüchtig, quod in
 B. LVATHERI translatione germanica apud S.
 MATHEVM. Cap. IV. vers. 24. & Cap. XVII. vers.
 15. occurrit, communiter vulgi loquendi mo-
 re, etiam Noctambalis tribuatur, quum tamen
 τό: σεληνιο&ρενοι lunatici, certe non Noctam-
 balos, sed Epilepticos, conuulsionibus tenta-
 tos, aut vt S. MARCVS Cap. IX. vers. 17. dicit:
 έχοντες πνευμα ἀράνοι, conf. BARTHOLI-
 NVM de Morb. Bibl. Cap. XVIII. pag. m. 74. seqq.
 JOH. de MEY, Physiolog. Sacr. Part. IV. Cap.
 I. Loc. III. ad MATHES. IV. 24. pag. m. 496. Excell.
 ALBERTI Medicin. Theolog. Dissert. X. de Medi-

et.

cina Ch̄isti miraculof. §. VI. pag. 638. seqq. morbo
longe a nostro diuerso laborantes denotet, ac
Noctambuli conuenientius, Sermone patrio
ex quorandam interpretatione Nachwanderer
dicantur. Nostram etiam non est diuersa,
autorum sententias easque interdum satis pa-
radoxas, & vero parum similes de *Cansis So-*
mambalationis conuellere, sufficit, quod ean-
dem in nostro aegro conspicuam, *Plethora* am
nempe, deprehenderimus. Interim non o-
mnes ex sala sanguinis abundantia factos esse
noctambulos, adfirmamus, quam vnius rei
plures esse possint causae, sed easdem suis au-
toribus defendendas relinquimus. Id enim in
omnibus, quas perlegimus, obseruationibus,
peccatam esse videtur, quod parum solliciti
fuerint autores in consignanda corporis consti-
tutione, sed potius ridiculos, & interdum sa-
tis mirandos tantum effectus, descriptos reli-
querint, quare iudicatu difficillimum est, quae
corporis crasis & conditio, animam ad tam
mirabiles motus stimulent suscipiendos. San-
guinem alias laudabilem, sola quantitate pec-
cantem, & ad spissitudinem forte prouum, in
nostro aegro primariam mali fuisse causam, vel
ex eo constat, quod venaelectione admissa, per
tempus quietior fuerit redditus, cui consimilia
sentiunt & Excell. ALBERTVS Loc. citat, &
Excell. JVNCKERVS *Conspct. Med. Praet. Tab.*
CXXIV. num. III. pag. 934. Imo prono inde alueo
fluit subsequentis morbi, omnino Sontici, ra-
tio

tio sufficiens. Nam matrimonii illecebras, iuuenis plethoricus, temperamento ad voluptatem veneream prae ceteris inclinante sanguineo eminentissime praeditus, in aetatis flore constitutus, iuenculam coniugem, non invenustam, rerum nouaruin, quale preeprimis sexus sequioris vitium censemur, cupidissimam, & quidem earum, quae tanta suavitate se gratas reddant, & pueras mirum in modum adficiunt, stimulantque ut leges muliebris patientiae, eo lubentius quo saepius accipient, nactus vxorem, non mediocriter sane apertas, ut ex eius colore paulo post consumtum coniugium sine alia euidenti causa in pallidum mutato recte coniicitur, sed maxime patulas preebuit aures, vnde partim subtiliores magisque spirituosos, tenues, serofas sanguini subtraxit partes, & ideo vniuersali eius spissescentiæ ansam dedit; partim vberiorem versus infimi ventris viscera congestionem effecit, qua sub hypochontriis, & venae portae systemate ortum traxit infarctus, & per consequens ipse adfectus melancholicus, temperamento sanguineo pree omnibus allis admodum familiaris. Vnde patet, quod mutatum laboriosior vitae genus, humores reddiderit fluxiliores, tenuiores eisque aequaliter in corpore distribuendis profuerit, & integrae sanitatis restitutionem, & restitutae conservationem, adhibitis quae praesenti malo adcommodata videbantur, maxime effecerit.

Sua

Sua vero sponte ex praesenti casu sequentia fluunt Spec. VIII. c. consectaria. I. Somnambulatio stricte dici nequit morbus. II. Aliis tandem morbis superuenire, ansamque praebere, facile potest; III. Somnambulatio sanguineo temperamento non inconsuetus morbus est; IV. Plethora somnambulationis merito causa dici potest; V. Somnambulatio sanguinae in orgasmum coacto maxime se ferre exerit, in subiectis adhunc affectum inclinantibus, hincque incrementa etiam capit; VI. Quod pariter dicendum est de aere calido sanguinem exaestuante; VII. Veneris usus modum excedens, plethoricis, praesertim iuuenibus, & spongioso corpore indutis, periculosus est; VIII. Venus nimia in corpore eminenter plethorico melancholiae hypochondriae excitandae multum fauet; IX. Veneris usus non dimetiendus ex carnis stimulo, sed corporis labore, & virium praestantia, ut quid valeant lumbi, quid ferre recuseat, non per fatalem experientiam, sed moderatum affectum usum discatur, quam parum autem voluptuosus, hac in parte rationis sane legibus auscultant, effectus indies probant, donec sero cum phrygibus demum sapiant; X. Laboriosior vitae genus, praestantissimum est plethororum, tam morbis a sanguinis copia & crassi deductis curandis, quam præservandis, remedium, ut apud eos præsertim valeat dipterium *res age tutus eris.*

OB.

OBSERVATIO VIII.

*Insolentiores medicamentorum
formulae.*

Seria satis, diu tractata sunt, nunc ad relaxandam mentem formularum quarundam rariorū, mirae sane compositionis, adparatum in lucem proferemus. Risum teneatis precamur amici, nec DEMOCRITVM, mundi stultitiam cachinno excipere salitum, sed eos quos ex TROPHONII antro admodum tristes rediisse constat, aut HERACLITVM, si placet, imitemini, quia sane consultius videtur, oculis fletu disfluentibus incedere, quam risuilia rumpere, quando de corio humano luditur. Fabulas nobis saperet, fallendi temporis causa excogitatas, vrbem vndiquaque celebrem Wratislaviam, inter medicos omni laude dignos, circumpurpuratos etiam agyrtas alere, & ejus furfuris Naturae ministros, Hygeae sacerdotes, nomen tam sanctum quidem circumferentes, ominis autem admodum parum, nisi ipsa nos aliud edocuisse experientia rerum magistra. Homines sumus, & humani a nobis nihil est alienum, nullumque magis nos imbecillitatis memores esse jubet, quam lapsus & error. Hic tamen, dum assere quolibet crassiores sunt, vitii in humanum genus, vicinumque commissi, aur experimenti per mortes aliorum facti, non patrocinium, non excusationem praestant, quippe quod pro medicis, qui Doctoris

Etoris titulo superbunt, & ab alio elaboratis dissertationum plagulis, quarum se subscripto nomine, prece & pretio emptos autores venditant, (juri naturali id non repugnare putantes, quod enim quis per alium facit, per se fecisse putatur) chartaque pergamenta, specioso sigillo roborata, ceu priuilegio impune occidendi, sese munitos perhibent, praesumtio militat, non errandi facultatis, quod circum foraneorum Rerniotomorum Castration-administratorum, cataractodepressorum rhizotorum miropolarum, dentifrangibulorum, vromantarum, serpenti captatorum, & reliquorum castissimae medicinæ, vt muscerda piperi, sese iñiscentium nebulonum est, sed artificii, quod titulo per solutam pecuniam adquisito toti mortalium gregi persuadere conantur. Quam vanas autem, sic alienis plumis, quamuis imerito, vestiti, spes hominum reddant, credulamque plebem, vt infantes crepundiis, decinant, indies magis magisque patescit, quam specimina edant, que vel artis ignarissimus, albo minime calculo notare possit sed ad rem, penes SELECTOR, iudicium esto.

Ordinatum scimus Clysterem emollientem, cui integrae tres vnicae Sacchari Saturui, addi iubebantur. Pharmacopaeus ab hac insolita formula perterritus, ipsum adiit medicum, humaniter ab eo soistans, an id forte fortuna calami lapsu factam fuerit? Sed re penitus inquisita, mox, vbi aqua haereret, animaduer-tebat,

tebat, bonus enim medicus, salem illum dulcescentem plumbi, per acidam vegetabile corrosi, atomis grauidum, pro salis indici, id est Sacchari quandam speciem habuit. Melioria vero a pharmacopeo edocitus, SATVRNI praescriptum in THOMAE Saccharum commutauit, ac, ne tamen totus errasse videretur, plumboſi concreti duas drachmas adiecit. Cui uſui nescimus, quum omnia a Saturno profecta, merito inter perniciosissima venena numerentur, intra corpus videlicet sumta, imone externum uſum diu nimis continuatum non adeo securum indicent exercitationes practici, conf. BOERHAAVE *Elem. Chem. Part. II.* Pag. m. 309. Excell. SCHVLTZE Praelet. ad Dispensat. Brandenburg titul. *Acet. Saturnum.* pag. 4. ut iam non dicamus, quid Saturni Saccharum, potenter adstringendi virtute praeclarissimum, ad enema emolliendi titulo insignitum, conferre debuerit.

Non leuiori modo, licet non cum tanto corporis aegroti, sed crumenae potius damno, in regulas, si non artis, prudentiae tamen quae medicum practicum decer, ab alio porro peccatum est. Laboranti nempe cui cuidam, non honoratori, aut ingenti pecuniae vi instrutto, sed ex artificum mechanicorum tribu, spontaneo vomitu, emplastrum quoddam stomachale praescriptum est, ex Oleo, quod propter consistentiam butyraceam, balsamum communiter vocant, Nucis moschatie ex-

Spec. VII.

D

presso

presso, & aliquod guttis Oleorum destillatorum, Carai Caryophillorum &c. maritato, addita uncica una cum semisse, Theriacae coelestis. Lubenter nunc tacemus, quod formula ista, emplastrum more illinenda plane inepta fuerit, quia theriaca talis, non pultis ad instar ductilis est, sed extracti paululum consistentioris, durusculi faciem praese fert, nec ab addita balsami & oleorum portione, quae ad redigendam in emplastrum formam impar erat, valde diluetur; Sed pretium considerari volumus, quod in unico emplastro, ultra XXXVI. Florenos imperiales adscendens, per taxam qua unum granum unius grossi Bohemici pretio venit, inventum est. Monitus ergo hac de causa a pharmacopoeo medicus, *Coelestem* in ANDROMACHI *Theriacam* commutandam esse consultius duxit, licet pretio longe viliorem viribus tamen hoc in casu si non superiore, certe haud inferiorem, & titulo emplastrum magis conuenientem.

Quibus encheirisibus deinde sequentem formulam misceat pharmacopoeus, aliis excogitandum relinquimus, cui sub signatura *Potunculae analepticae* ex aquis diapnoicis, aromaticis, & analepticis, syrapis quibusdam, & id genus aliis, constantis, & in Jalappium multatae, cochleatum sumendae, vncia semis *Vnguenti nequinii* addi praecepit medicus quidam, egregie me castor! neruis relaxatis remedio vncuofo, & externo tantum usui destinato prospecturus.

Pari

Pari forte passu ambulat vnguentum sequens ex Emplastro Comitissae, & unguento ad rupturas FELICIS WVERTZII, combinandum, quam sub hoc titulo, vllum dispensatorium, quantum quidem nos scimus, neque vnguentum, neque emplastrum exhibeat, sed mutatis nominibus utrumque, nempe Vnguentum Comitissae, & emplastrum dicti autoris ad rupturas, tapideae fere duritiae reperiatur. Lapsum calami forte dices, nisi hanc excusationem peritia medici, qui forsitan nec vnguentum ordinatum nec emplastrum, vñquam se oculis vidisse gloriari iure potest, id prohiberet, alias sane nec titulos remediorum inter se mutaret, nec anaticam portionem, tam compacto emplastro in vnguenti formam emolliendo insufficientem ordinaret.

Ab eodem etiam sequens, nisi omnia nos fallunt, profecta est formula, quam Phthisico consumato, & ab ordinario medico, iam prognostico derelicto, exhibendam praescripsit, solutas nempe in vini spiritu Resinas Jalappae & Scammonei, anatica portione, ad VIII. grana, pro alio subducenda, quibus etiam adeo subducta est, ut durante adhuc remedii operatione, aeger viribus dudum, per morbi quem passus est vehementiam & diurnitatem, exhaustus, ultra centies purgatus intra noctis meron, diem obierit supremum.

Haec ad pharmacopoeorum manus peruenta sunt, quas vero, qui priuatam dispensatio-

D 2

nem

nem ex his exercere solent, egregias formulas concinnare non verebuntur, ex speciminibus allatis coniici facile poterit. Imo ne etiam huius rei experimentum desideretur, quod sequitur adnectere, animus est. Curae vernali ceu prophylacticae, cui ciuis quidam vrbis cum tota familia, a multis retro annis adsuetus fuit, & multam inde a subsequentibus morbis immunitatem & praeferuationem sibi persuasit, medicus adhibetur, vt scilicet Venae sectio nem quibus per aetatem conueniens censebatur, & post eandem hero & herae, liberis & famulis, iunioribus & adultis, blandam laxationem, postmodum sanguinem sic dicta purificantia ordinaret, aut ex domestico suo adparatu porrigeret. Annuit libenter medicus nummo aureo conductus, & celebrata in quibusdam phlebotomia, puluerem purgantem suae compositionis ipsem transmittit, qui chartulae inclusus signabatur: *Puluis laxatiuus pro integra domo: Purgier - Pulver vors ganze Hauß.* Pater Familias admiratus pulueris sat magnam portionem, nesciusque doseos pro singulis, siue pueris siue adultis, iunioribus aut aetate confectis, nulla namque ratione annorum aut virium expressa legebatur, medicum tam minus adcuratum missum facit, aliumque rei suae melius consulentem aduocat. Paulo post ancilla proprio ausu, purgandi fine, integrum dicti pulueris molem, vna vice deglutiens, ingentibus & intolerabilibus ad crepatu ram

ram inflati ventris torminibus adficitur, & intra viginti quatuor horarum spatium, conuulsa quidem, non vero purgata moritur.

Nonne in eiusmodi medicos quadrant
PLINII *Histor. Nat. Lib. XXIX. Cap. I. pag. m.
 §92.* effusita scommata? qui itaque hercule! in
 hac artium sola evenit, inquit, ut cuicunque medicum se professo statim credatur, cum sit periculum
 in nullo mendacio mains. Non tamen illud intue-
 mur: adeo blanda est sperandi pro se cuique dulce-
 do. Nulla praeterea lex, quae puniat inscitiam
 capitalem, nullum exemplum vindictae. Discunt
 periculis nostris & experimenta per mortes agunt:
 Medicoque tantum hominem occidisse impunitas sum-
 ma est. Quinimo transit conuitum, & intempe-
 rantia culpatur, ultrisque qui periere arguantur.
 Sed cui bono tam in altitudinem mea trabe euolo?
 verba sunt **SEMPRONII GRACCHI** in
Herm. Medicin. Lib. II. Sect. IV. pag. 275. quae hoc
 loco propter materiae ad finitatem repetita
LECTORES perlegere non grauabantur,
 tanquam hic bene multum facientia, cui, nisi
 ut malum, cui remedia opponenda essent exasperer-
 tur? quis enim eius hodie curationem sperare potest? In-
 terea patitur aegrotus, patitur justus patitur respublica,
 ipseque Rex. Ifsi autem hi paraboloni, hi nothi, he
 barbari ab iis, quas recensimimus parentibus prognati,
 ex funesto saltus humanae fato ditescant, & tertiam
 quartamue partem e Charonte, cymba ab iis eneca-
 tos transferentis, stipendio, lucri loco venantur,
 unde praeterea illorum quoque crumenae pingue-
 scunt, saltim vita conseruatur, qui horum homi-
 num scelera pingui terrategunt, h. e. demortuorum
 ora, sibimet simillima materia infarciunt, ut suum
 homicidam prodere nequeant. Verum

*O! miserae leges, quae talia criminis fertis!
O! coeci reges, qui rem non cernitis istam!
Vos, quibus imperium est, qui mundi fraena tenetis?*

*Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem;
Consulite humano generi, quod nocte dieque
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum!
Vel perfecte artem discant, vel non medeantur,
Nam si aliae peccant artes, tolerabile certe est,
Haec vero nisi sit perfecta, est plena pericul,
Et saevit tanquam occulta atque domestica pestis.*

OBSERVATIO IX.

Dolores haemorrhoidates & nephritici, ab Incorriguo Elixirri Proprietatis PARACELSI, vsu vehementissimi.

Quinquaginta annorum vir, admodum obesus plethoricus caeterum in diaeta, lauta, eupepta, sine magnis curis viuens, aliquod liberorum pater, hernia simul scrotali laborans, vitamque viuens admodum, ratione officii sui, mobilem, ita ut indies circumcursitando se fatigare habuerit necesse, Anno MDCCXXXV. circa Junii initium, aere vehementer calido, sibi non ex omni parte fatus, sed ciborum quodam fastidio, ventriculi imbecillitate, artuumque lasitudine vexari videtur. His ut in principio obstaret, ne sero medicina paretur, quum mala per longas inualeant moras proprio consilio, antequam consuetos cursus obiret, satis bonam *Elixirri Proprietatis*, (quale chemici circumforanei singulis

gulis nundinis publice venum exponunt) portionem ebbit. Currit deinde per aliquot horas, domumque repetit, at tam subitaneo tentatur morbo, ut extrema instare ipsem credat. Vehementissimis enim & omnino intolerabilibus in regione renali, & circa os sacrum perfoditur doloribus, lancingantibus, vrentibus, pungentibus spasticis. Continuus porro aderat tenesmus, excretio tamen aluinaram fecum nulla, vrinae non aliter nisi guttatum profluentis ardor maximus, coli intestini dolores nulli pares, imo ut aeger loquebatur contorsiones ruetus crebri, singultus insolentior intercurrentes, extrema mortui ad instar pallida, facies fere hippocratica, sudores copiosi gelidissimi, quies nulla, mortis metus. Ad auxilium aduolantes largissimam pulueris antispasmodici flavi exhibuimus portionem, sed absque notabilis fructu, Clysterem, ex herbis emallientibus, carminatuis, tonicis lacte coctis, & multo oleo lini recenti (tanquam singulari in spasticis intestinorum stricturis specifico) maritatum iniicere curauimus. Sub ducta mox aluo, & repetito puluere, aeger in extrema omnino redactus, non leuamen tantum notabile, sed & multam restitutionis spem interum concepit, praesertim quum vrina, quae coloris erat rabicundissimi, paululum turbida, & copiosissimo sabulo, & lapillis milii granum magnitudine superanthus diues, libere & sine molestia fluere inciperet. Clysteris versus noctem

D 4

sua-

suademus repetitionem, pulueris deinde antispasmodicos Halenses ordinamus, quibus mixtura, ex Mixtura simpl. & Spiritu Nitri dulci, paucis laudani liquidi SYDENHAM guttis infecta, aliquoties per diem interposita est, ut blanda diapnae excitaretur. Altero die adhuc semel clysterem in usum vocamus, potum porro suademus multum, diluentem, citri succo probe acidulatum, qua methodo, bono cum Deo, omnia pacatiora redditia sunt, breuique aeger, administrata in pede venae sectio ne conualuit.

SCHOLION.

Dici non potest, quantas in humano corpore turbas excitat Aloes abusus. Maximam partem enim inde deducenda est haemorrhoidaria, nostro aeuo omnibus fere familiaris, constitutio. Paucae tam honoratorum quam plebeiae reperiuntur domus, in quibus non lagena Elixirio proprietatis, quod communiter stomachicum Magen-Tropfen vocant plena, aut pilulis purgantibus, praeter aloen nihil fere in se continentibus cephalicarum, ut plurimum titulo superbientibus, grauica scatula vel pyxis, ad manus esset, & haec remediorum ex vulgi sententia fere vniuersalium farrago, a circumforaneis, vili pretio emitur omnibus que iunioribus & adultis, sine habitu temperamenti, aetatis, sexus, morbi, circumstantiarum discrimine, sedulo obtruditur, ut gyrtas, barbitonsores, omnisque generis in dicastros taceae

ceamus, ad Elixirum PARACELSI, tanquam ad sacram anchoram configuentes, quum omnis eorum in hoc remedio, spes & artificium limites inueniat. At non solum in quotidiano vsu, sed etiam, & quidem maxime, in larga dosi peccatur, quam non ad guttas inadul-to, sed ad cochlearia & vncias metiuntur. Aloen ad tantam apud omnes aestimationem peruenisse, praeter sumiuenduli illius PARACELSI, eiusque ad seclarum sesquipedalia elo-gia, mirum in modum ebaccinata, ex piafor-te superstitione deducendum est, quod in sa-cro codice relatum legunt, sanctissimum Sal-uatoris demortuum corpus, *Aloe & Myrrha* per NICODEMVM, ante sepulturam, Ju-daeorum more conditum fuisse. JOHAN.

Cap. XIX. vers. 39. 40. Quaenam vero pro tanto calidislimarum specierum abusu inde petenda sint argumenta nostrum definire non est ; nec illa maius pretium valent, quibus, ab utrius-que vi putredinem a cadavere extincto arcen-di, ad effectus huius farinae in vino corpore exercendos, progreditur. Talia respuit hu-mani corporis conditio, solo eoque placido motu, & inde pendentibus superflui secrecio-ne, & excretione, non vero fictitia balsamatio-ne, conseruanda. Insunt enim Aloei, Myrrhae, Croco, imoque ipsi vini spiritui, ex quis-bus videlicet Elixir Proprietatis vulgari more componitur, vel potius crude miscetur, parti-culae resinosaes, oleosae, sulphureae, volatiles,

D 5

admo-

admodum mobiles, sanguinem & humores raf-
efacientes, vehementer impellentes, vno ver-
bo in enormem orgasmum cogentes, quare
etiam fit, ut subiecta ad quaslibet haemorrh-
gias concitent, aut saltem ad molimina haemor-
rhagica, eo interim molestiora periculosiora,
quo minus in actum erumpunt, disponant, in-
deque congestionibus, infarctibus, stasis, ardori,
inflammationibus, spasmis, doloribus,
convulsionibus, viscerum in infimo ventre stri-
cturis, circa venam portae, vterum, & hy-
pochondria imprimis, exanthematibus purpu-
raceis, quae communiter scorbutica dicunt,
nephritidi, rheumatismo, podagrae, calculo,
passioni hystericae, Ileo haematitidi voluulo,
colicae spasticae, haemorrhoidibus coecis, imo
& praeter necessitatem fluentibus, haemorrha-
giis nimiis, insolitis, periculi & aleae plenis, &
sexcentis aliis, (quae si locus tempusque per-
mitteret, copiosissimis obseruationibus hucvs-
que in praxi notatis, luculenter probare facile
possemus) ansam subministrent & occasionem.
Nobis sufficit praesens casus, vbi damnum ab
hoc remedio causatum adeo manifestum erat,
ut illud aliunde repetere velle, stultitia esset.
Discant igitur huius medicamenti fautores in
posterum cautius cum eo mercari, & alienis
periculis, vili profecto pretio, sapientiam
emant. Prudentem vero & circumspectum
aloeticorum, etiam huius Elixirii, absit ut da-
mnemus, usum, quia nos metipsi eadem, spe-
rato

rato fructu, praesertim aloen resina sua, quae ad pauca grana canibus, imo magni corporis molosso, praesentissimum est venenum, priuatam, saepius exhibemus, temerarium abusum, non moderatum prudentemque usum, exercantes. Periculo sane non caruit aeger, quum praeter motas haemorrhoidales, spasmos intestinorae insignes, etiam micrum cruentem, imo & ipsum sanguinis vomitum moliatur natura. Quid enim aliud Sphincteris spastica constrictio, regionis renalis dolor lancinans, ructus & singultus denotent, dicant qui poterint. Curam quod attinet, eandem morbo conuenientem fuisse nemo mente sanus negabit, praesertim quum exitus breui exceptatus acta probarit. Opiata hoc in casu adhibita, ne timidissimus quidem, & maxime circumspectus practicus inculpabit, huc autem, propter vim membranas ultra modum strietas relaxantem, haud parum facientia. Puluerem antispasmodicum flauum, nullum alium esse scias, quam Halensem, loco cinabaris, cum aliquot guttis Tincturae opii crocatae & Essentia castorei irroratum, haud spernendarum in quibusdam casibus virium. Facile igitur coniectu est, aegrum per omnem morbi decursum, vix integrum opii granum, certe non duo absumisse. In dosi vero antispasmodici Halensis pulueris, non adeo scrupulosi fuimus, quem non ad scrupulos, qui profecto hic parum effecissent, sed ad integras drachmas exhi.

hibuimus, praeter spasmos demulcentem, ali-
um naucti effe~~ctum~~, nempe blandam alui solu-
tionem. Oleum lini, modo recens sit, iterum
atque iterum commendamus, ha~~c~~tenuis enim
eo superius, in domanda colica spastica, imo &
ipso volvulo, nullum nobis ~~bonum~~ innotuit,
absque vlo etiam additamento, clysteris loco,
rebus sic exigentibus, in sufficienti quantitate,
repide injecto imo cochleari vno vel altero,
per os adsumto. Non enim est quod cali-
dum iudices, magna enim ine~~s~~t ei aquæ quan-
titas, & mucilaginosæ substantiae, vnde etiam
a pictoribus, nonnisi admodum vetustum, aut
prius cum terreis & Saturninis in vernicem
coctum, temperandis pigmentis adhiberi pos-
sit, quia recens nunquam siccescit. Aliud ve-
ro dicendum est, de antiquo, quod rancorem
cuticulamque contraxit, & medicis usibus o-
mnino propter orgasmicam vim, quam sapor
contractus aeris satis probat, ineptum est.

Consectaria quae ex hoc casu eliciuntur præ-
cipua sunt sequentia: I. Aloetica plethoricis,
& ad sanguinis orgasmum facilem dispositis,
aut nunquam, aut cum magna circumspectione
sunt exhibenda; II. Eo igitur vehementius no-
cent, eoque certius, quo majori dosi ingurgi-
tantur; III. Aloes in substantia usurpata, mi-
nores excitat turbas, quam vini spiritu reso-
luta; IV. Eopraesentius Aloeticorum damnum
est, quo magis actiuis & calidioribus specie-
bus maritata sunt, ut fieri consuevit in Elixirio

pro-

proprietatis; V. Aestus aeris externus aloetici
corum intra corpus sumtorum, vim sanguine-
m expandendi, & in orgasmum cogendi, ul-
tra modum iuuat; VI. Idem etiam dicendum
est, de corporis motu, praesertim per cursum;
VII. Corpus plethoricum, sensibile, admolima
quidem haemorrhagica, sed actuales sanguini-
nis eruptiones non aequae, depositum, fune-
stissima ab aloeticis, praesertim resolutis, pa-
titur symptomata; IX. Motus haemorrhagi-
ci in corpore plethorico, per abusum aloeti-
corum excitati, periculosissimi sunt; X. Idem
credendum est de spasmis enormioribus, per
sanguinis a remedio calido commoti orgas-
mum, suscitatis. XI. In tali casti nitrata, & sa-
lina media, non parca sed liberali manu distri-
buta, optimum edunt effectum; XII. Eius-
modi motus, quos non ex deliberato & quasi
praemeditato consilio natura excitat, sed ad
quos ex improviso praeter voluntatem ma-
xima vi stimulatur, & quasi rapitur, opiate
prudenter adhibita ferunt, non tamen curan-
di, quod plane in eiusmodi casibus urgenti-
bus frustaneum reperitur, sed tempus tan-
tum lucrandi fine, ut quae facta opus sunt,
commodius, & minori cum molestia fiant.

OB-

OBSERVATIO X.

D. GOTHOFREDI HENRICI
BVRGHARTI, Medici Wratislaviensis.

Erysipelas vesiculosum, post haemorrhagiam Vteri.

§. I.

RUSTICA quaedam mulier, duriori vitae adsueta, habita corporis strictiori praedita, aetate aliquot annorum supra trigesimum transacta, per biennium fere mensium tam anomalias, quam plenariam suppressinem, sine notabili tamen, ob vitae genus laboriosum, molestia, passa, Anno MDCCXXXV, Mensē Februario, vrgente frigore, aliquot mille passuum iter pedestre succepit, aerisque iniuriis corpore vestimentis parum munito, sese in consulto exposuit, licet iam per aliquot tempus, de "insigni artuum lassitudine, & obtuso capitis dolore, conquereretur, quae tamen parum curauit, grauedinem sibimet praedicens.

§. II.

Medio itineris spatio vix emenso, tanta laborare incipit lassitudine, viriumque subitanea resolutione, vt sibi apoplexiā imminere metuat, terraeque adsidere cogeretur ; quo facto, tam vehementibus, & quasi per incantationem introductis spasticis doloribus subito oriundis in abdomen tentatnr, sanguisque per vteri

va.

vaginam tanto cum furore, tantaque copia prorumpit, ut mortem ex haemorrhagia adeo enormi, ante foras esse non iniuste credat misera, & medio in campo ab omni humano confortio, auxilioque remota femina.

§. III.

Quum vero metus, ut in proverbio dicitur, homini calcar addat, pedesque faciat, aegra inter sacrum & Saxum iacens, quae superflunt, omnes recolligit vires, & ne frigori pereundum ipsi sit, domum non adeo longe diffitam repetere tentat. Repetiit etiam viribus omnibus exhausta.

§. IV.

Domo vix ingressa, tam subito, ut exorta est, iterum sua sponte cessat uteri haemorrhagia, quam e vestigio excepit vehemens horror, intolerabilibus infimi ventris doloribus, lacinando molestissimis stipatus, cui mox calor intensissimus, doloribus haud imminutis succedit. Hanc fabulae scaenam lectulo adfixa, inter varia quidem, ast irrita muliercularum consilia, per duos tresue dies lusit.

§. V.

Mihi deinde cura committitur. Quum aegram visitarem dolores lancinantes reperio, eodem quo cooperunt furore perseverantes, superuentos porro extremonum artuum, manus videlicet pedumque spasmos, Febrem continuam inflammatoriam, leuiores mentis ab-

aberrationes, faciem in dextro latere tumidam & inflamatam, vno verbo Erysipelate obfessam.

§. VI.

Dicto prognostico non adeo bono, monitaeque, de insigni quo versari videbatur periculo, aegrae, pulueres ex nitro multo, cum Antimonio diaphoretico, ob sulphur quo pollet & salina spicula, insigni virtute discussente praedito (*) [quidquid etiam in contrarium dicant, qui chemiam non per repetitum artis usum, sed librorum solummodo lectionem norunt) maritatos, larga dosi porrigo, subiuncta mixtura diapnoico-resoluente, ex Pimpinellae albae Essentia mitiori, Mixtura simplici, & spiritu nitri dulci parata, repetitis vicibus, sed in refracta dosi, adhibenda, suadebatur insuper potus multus, aquasus, frigidus.

[*] Consentientem hac in parte habeo oculatissimum SCHVLTZIVM in Praelect. ad Dispensator. Brandenburg. Tit. Antim. Diaph. pag. 14. qui testatur, sub tali calciformi substantia omnino aliquid nobilius, & simplici quovis alio absorbente; nempe diapnoicum seu diaphoreticum, scilicet quod insensibilem transpirationem excitat, conseruat, auget, latere. Sulphureum autem id esse, praeter reliqua tentamina, sala in mortario paulo concitata huius concreti tritura, cognoscitur.

§. VII.

His per nychheimeron ex praescripto usurpati sedulo, dolores lancinantes paululum re-

remittunt, & liberiori reddita transpiratione, tota facies mirum in modum intumuit, & erysipelate obfessa est. Oculos, nasum, palpebras, frontem, genas, mentum, labia adeo eleuavit tumor, ut vix inter se amplius distingui potuerint, & caput peripheria duplo majori praeditum videretur.

§. VIII.

Continuantur consueto more remedia, quorum usus, post unum vel alterum diem, Vesicae in tumida facie surgunt, Imperiale magnitudine aequantes, ichorem flauescentem, non aliter ac per cantharides excitatae, fudentes. Quibus visis aegram bono esse animo iussi, praesertim quum febris multum vehementiae perderet, & exactos paroxismos formare inciperet, qui eius exacerbationem circa vesperam imminemtem significabant, aduentis simul in testimonium doloribus lancinantibus, eodem tempore recurrentibus, & post medium noctem durantibus, satis notabili quidem atrocitatis suae parte priuatis.

§. IX.

In hoc statu, quamuis de die in diem mitigatione reddito, quum per duas & quot excurrit septimanas adhuc permanserit, cum sanitate in gratiam iterum rediit, remediiis iisdem, eademque methodo adhibitis. Ut autem naturae ex omnibus partibus satis fieret, plenarie restitutae venae sectionem, consulto hucusque

E

omis-

omissam, in pede celebrandam suadeo, qua per acta, per Dei auxilium sana dimittebatur.

§. X.

Si *Erysipelas* istud *Vesiculosum*, ad febrium classem quae ab HIPPOCRATE περφύρωσεος, ιδεν δεινοί, Lib. VI. Epidem. Sect. I. Aph. 51. discuntur, referre velles, per me quidem licitum esset, quamuis ego certo persuasus & experientia edocitus sum, febrem pemphigodem, ab erysipelate vesiculofo, diuersum quid esse, imo si non omnis me fallat memoria, ipsum Senem Erysipelatis vesiculosi mentionem fecisse, licet locus quo factum est, iam non occurrat. τὰ ἐρυσιπέλωτα ἐλκουμένα quidem Sect. V. Aph. 23. & Sect. VII. Aph. 20. Ignis sacri mentio iniicitur, cui σωτείων ή, ἐκπυκνός supervenit, quae tamen praedicata, non περφύρεται, vesiculos, sed ulcerā, putredinem & suppurationem, uno verbo inflammationem erysipelaceam, non per vesicas ichorofas, sed abscessum sese soluentem denotant. Forte Φλικταῖς, postulae illae, igni sacro nigro superuenientes, Lib. VI. Epidem. Sect. VIII. Aph. 69, cum nostris eadem censendae essent, nisi necroseos initia significare contendas. Interim tamen, idem ille COVS animalium mihi addidit, quum ex eius decreto, περγάμωσι Sect. XXIII. Aph. 14. Securius sit in Erysipelite tumorem & ruborem quam maxime foras verti, & internam, quam metui, inflammationem, partem externam, tanquam minus periculosem occupare cernerem.

§. XI.

§. XI.

Mensium in ordinatum fluxum, & plenariam deinde suppressionem, tam enoriori vte-
ri haemorrhagiae ansam dedisse, nullus dubito; Ipsum vero profluvium, tam a motu corporis, praeter vires eius suscep-
to, quam ab extero aere gelido, humores versus interiora pellente hincque molestissimos viscerum infimi ventris spasmos excitante, deriuandnm esse, non immerito mihi videtur.

§. XII.

Idem ille frigidus atmosphaerae status, non exclusa mentis anxietate, partim subitaneæ cessationis haemorrhagiae, partim etiam ob transpirationem cohibitam, impulso per corporis motum versus cutis tubulos sanguine, subsequentis deinceps staseos, & per conseq[ue]ns febris inflammatoriæ erysipelaceae causa mihi venit. Interum viscerum infimi ventris dolores, ratio possunt haberi sufficiens, ejusmodi inflammationem etiam ab his locis non multum absuisse, quos spasmos omnino pro motibus ab ipsa natura susceptis resolutoriis venditare nulla vetat ratio.

§. XIII.

Tumorem faciei & natas in eo vesicas laudabilem, atque quum egregiam ichoris copiam funderent, sufficientem iudicauit crisin. Nullum enim paucum esfectoricum, jam antiqui tradiderunt. Me vero recte iudicasse morbi solutio felix satis superque demonstravit.

E 2

§. XIV.

§. XIV.

Hac idea morbi sic formata, curae institutae ratio satis adparet, orgasmus enim sanguinis erat temperandus, statis praesertim interior discutienda, humorum impulsus versus peripheriam ducendus, transpiratio in ordinem redigenda, & superflui seri partes iam corruptae eliminanda. Quae quum remediis, quamuis primo intuitu oppido simplicibus & paucis, huic scopo tamen mire satisfacentibus & aptis efficerentur, corpusque quoad solidas partes incorruptum, nullaque in visceribus immediabili labore affectum esset, aliter fieri non potuit, quam ut annuente summi Numinis gratia conatibus, sanitati iterum restitueretur.

§. XV.

Dolores iternos, imo & extremorum spasmos, nullis anodynais adgressos, forte miraberis Lector, sed me tali medicorum haeresi imbutum esse scias, qui probe motus actiuos a passiuis distinguere didicerunt. Alea periculoque plena reperitur symptomataria methodus, quae, licet interdum per naturae lactam cum morbo & medico, eiusque robur excedens, exoptatum exitum sorriatur, ut plurimum tam & medici & aegroti spes reddere fallaces solet. Primaria nempe, qua reliqua antecedunt, anodynorum imprimis papaueraceorum, virtus in eo consistit, vt fibras relaxent, vique fese stringendi spolient, vnde dolores sistere solent. An vero in hoc casu & omnibus

bus aliis, vbi natura per motus spasticos materiam corpori summe noxiā, & destrūctionem minitantem, in ordinem reducere & expellere conatur, arma hoc modo ipsi eripere aut ad minimum inutilia, malo debellando imparia reddere, prudentis, circumspetī, & conscientiosi sit medici, iudicent sagaciōres, iudicabitque demum summus ac omnibus tremendus iudex.

§. XVI.

Ex hoc vero sequitur casu, quod ; Inflammationes post haemorrhagias enormes sint paulo rariores ; Interim tamen periculo plena ; securiores vero, vbi tumor ruborque foras vertuntur ; Erysipelas vesiculosum grauius simplici ; Febrique continua stipatum, periculosisimum ; Imprimis si suspicio internae inflammationis simul adsit ; Dolores lancinantes infimi ventris febri inflammatoriae iunctae, viscerum inflammatione obsessarum suspicione iniiciant ; & demum methodus medendi motus a centro ad peripheriam ducens, in febribus inflammatoriis, omnium securissima existat.

E 3

Man-

Mantissa
Ad Specim. VII. Satyrar. Med. Sil.
 NVM. I.
D. GOTHOFREDI HENRICI
BVRGHARTI,

Medici Wratisl.
 Dissertatio Epistolaris
 Ad

Virum Exellentissimum Doctissimumque
 DN. ANDREAM OTTOMARVM
 GOELICKIVM,
 Med. D. & in Illustri ad Viadrum Academia
 Profess. Medic. Publ. Ordinar. nec non Circuli
 Lebusiensis Physicum,
Conscripta,
Meditationes

De Thermometrorum Emendatione
 continens.

VIR EXCELLENTISSIME
 Praeceptor, Fautorque aeternum colende!

TAm arctum, tamque sanctum est amicitiae & necessitatis vinculum inter PHYSICAM, MATHESIN atque CHEMIAM, ut vna absque reliquis quasi languescat aut manca mutilaque omnino, luminibusque orbata deprehendatur. *Physicum*, id est corporum naturalium, eorumque affectionum ruspatorem se venditare, & *Mathesin*, quae motuum vbique obuenientium leges, aut quantitatuum effe

effectus explicat ignorare, & in *Chemia*, quae
interiorem quasi corporum qualitatem, ceu
optimus clavis, recludit, & extrorsum, vt in
fensus cadant vertere scit, se hospitem esse fateri
idem est, ac circulum sibi fingere velle qua-
dratum. Coeca profecto est Philosophia Na-
turalis, vtriusque scientiae adiumento, ceu
vtroque oculo, carens, aut lusca faltem si vni-
us vel alterius ope destituatur. Superioris
aevi, & canae testantur antiquitatis monu-
menta vberimē, quid valeant, aut ad com-
munis vitae usum contulerint Physicorum co-
natus, speculationibus tantum cerebrinis innixi
Mathesin alto spernentes supercilios, Chemiam
ne nomine quidem noscentes. Mirum inde
non est, si ejusmodi systemata perlegerintibus
nunc bilem nauseamque mouent, quum na-
turalium euentuum neque exactas relationes,
neque sufficientes vel tantum probables, ra-
tiones referant, sed earum loco coruos, vt ita
dicam, hiantes deludentia solum phantasmata,
succo sanguineque destituta, discendi cupidis
fistant, tricis tricas intexant, obscura reddant
obscuriora, naturam quasi studio sese occultan-
tem non nudam, non illustratam exhibeant,
sed magis verborum nouiter exclusorum &
nihil significantium caligine inuolutam depin-
gant, & ita lectores multo confusiores, ne-
quid peius dicam, quam antea fuerunt, dimit-
tant. Nihil iam de MEDICINA in praesen-
ti moneo, quam ibi incipere ait HIPPOCRA-

E 4

TES

TES noster, ubi Physica definit & ideo medicum vt euadat Physicus hortatur, quia damnum, quod a toto retro saeculis ex *Physicae sa-
nioris* ignorantia passa est, & adhuc interdum patitur, omnibus proh dolor! bonis satis su-
perque notum est, quamuis & illud fateri co-
gor, excedentem Physices amorem, nimium-
que & interdum nullius usus pretiique minu-
tias captans studium, praesenti praesertim tem-
pore, nobilissimae Arti haud leuiora inflxisse
vulnera. Talis igitur Physices cognitio, qua-
& Medicinae, toti humano generi amplissi-
mam utilitatem praestanti, & communis vitae
necessitati consulere potest, non aliunde nisi
ex limpido *Matheos & Chemiae* fonte hauritur.
Quae quum ita sint, & luce propria iam radi-
ent, non opus est, vt vberius demonstrare
nitar, quia neminem mihi, qui eruditus titulo
superbire gestit, denegaturum calculum con-
fido, TVque Ipsem, VIR EXCELLEN-
TISSIME, cui id quod in Physicis noui, ma-
ximam partem debo, propria edocetis expe-
rientialia, non solum idem mihi, quando sermo-
nem hac de re TECUM miscere licuit, sed &
saepius publice fassus es, quam mihi aliisque
tunc temporis, commilitonibus, Naturalis
scientiae ad Excell. LOESCHERI duorum
rudimenta instillares.

Prout igitur *Physices* dextra manus *Mattheo-*
s, *Chemia* sinistra merito salutatur; ita paucis
omnino datum est, vt *αριθμοι* naturae Sora-
tato-

tatores, id est in vtraque exercitati euadant, quia Matheſeos & Chemiae amplitudo & diſſcultas multos a ſui studio deterrere ſolent, accedit, quod *Adparatus* ad vtramque maxime neceſſarius haud exiguam requirat pecuniae vim, & vacuis, quod dicitur, omnino matibus, praefertim in poſtrem, parum ſane effici poſſit. Naturalium vero phaenomena in da- gationi, tanquam finia Physico ſibi conſtituto, mathematicis & chemicis enheirisib⁹ adſe- quendo *Instrumenta* varia, ea que interdum ſatis preſioſa inſeruiunt, quaetamen, vt id quod in- tenditur praefert, adcuratissime ſummaque diligētia ſint elaborata, & omni careant, quantum poſſibile vitio, neceſſum eſt, ne in- ſtrumenti, tanquam medii, culpa, in errorem praecipitetur operator, & tali modo aut in caſu omnis abeat diligētia, tempusque & im- peneſae perdauntur, aut falſae opinioni, & ri- diſculae cuidam haud raro hypotheti, quod ſae- pius factum eſſe libri loquuntur, anſa praebetur atque occasio. Hinc omnem ingenii aci- em impendere conſueti ſunt Physici, quo in- ſtrumenta, faciendis experimentis idonea, qui- bus ſalis Naturam, vt nuda adpareat, ſuaque myſteria reuelet, cogunt, magis magisque emendent, & adcuratiora reddant; Imo non exiguam ſibi comparaffe laudem putant, ſi quid hoc in caſu ſolidi praefertitſſe, iure merito- que glorientur, aut cum PITHAGORA
to: inueni, exclamare poſſint. Hic fortassis

E 5

me,

me, vt caeteros exercuit stimulus, horas aliquot, ab aliis laboribus vacuas impendere, vt quæ in eiusmodi Instrumentis adhuc notaui vitia, usum eorundem, aut difficilem reddentia, aut, quo ab omni parte perfecta dici queant, impedientia, quantum potui, emendarentur. Ita ante biennium fere ex ILLVSTRIS REGIAE BORVSSIACAE SCIENTIA RVM SOCIETATIS Jussu, quum me suis adscribere decreuerit, eiusmodi specimen Berlinum transmisi, quod *Nouam HYDRO ROLOGII*, ex *Argento vino* confecti, & ab omnibus morbis, quibus alias hae machinae aquam in se continent laborare solent, feliciter sanati *inventionem* exhibit. Jam aliud ad gredior instrumentum, quod, quo utilius in Experimentali Physica censetur, quo notius est, & quo longius adhuc distat ab extremo, quem meretur perfectionis gradu; eo magis emendationem a pluribus, iisque Exercitatissimis Viris dubia forte, & interdum plane frustra tentata in postulare videtur. Mixtum quasi est, ex Mathematicis nempe & Chemicis principiis, & mixtam ideo per utriusque scientiae ad manicula poscit opem.

Vides ergo VIR EXCELLENTISSIME causam & rationem cur tentamina huc usque circa Thermometri Emendationem suscepta, viris etiam maximis, ex voto non successerint, quia propositam sanationem, ex unico tantum, non utroque fonte haurire, aut deriuare adnisi sunt

sunt, manifesto testimonio, non solam Mathe-
sin, non solam Chemiam, sed amicabili inter se
quasi connubio iunctas, id quod in Physica
perfe&etum expectatur, praestare tantum posse,
tantum solere. Quomodo itaque suscepimus
in me tentamen, adsequiturum sit finem ex-
optatum, quam feliciter proposita emendatio
succedet, TE, VIR EXCELLENTISSIME,
•Judicem constitutum volo, eo lubentius, quo
TVA in iudicando dexteritas, & in Physicis,
ac tam Mathematicis, quam Chemicis rebus,
cognitio mihi notior est, & animi TVI in me
propensionem saepius expertus sum. Vale
interim PRAECEPTOR OPTIME, FAV-
TORVM INTEGERRIME meque amare
perge. Dabam Wratisl. Prid. Kal. Maji An.
MDCCXXX.

De Thermometrorum Emendatione

Meditationes.

§. I.

Omnium quae existant Thermometrorum
optimum adhuc habetur *Florentinum*, quod
ex phiola vitrea construitur, cuius collum,
circiter tres pedes & quod excurrit, longum,
vnam vero vel duas lineas quoad diametrum
latum est, venter vero, sive globulus tubo
infra adnexus, digitifere plus minus diametro
gaudet. Repleta deinde per certas encheiri-
ses sphaera (quae pariter ac tubas ex pelluci-
dissimo, quod album dicunt, vitro conflata sit,
ne-

necessum est) Vini Spiritu, colore quodam diaphano, sine flauo, violaceo, rubro &c. tinteto; aereque intra tubum contento, quantum licet expulso, ne spiritus motum, ascendendo & descendendo absoluendum, impedit & remoretur, hermetice, quod aiunt, orificium tubuli sigillatur & arcte clauditur, postea sic instrueta phiola afferculae perpendiculari, in certa aequalia spatia, gradus vocata, diuisae, ita adaptatur, ut spiritus intra vitrum contentus, aeris diuersa temperie aut rarefactus, aut condensatus, caloris & Frigoris incrementa varia, & decrementa, significet, & determinet.

§. IL

Multis vero hoc instrumentum defectibus, usum eius parum adcuratum efficientibus, laborare, experientia constat; quorum primarii deprehenduntur: 1.) Machinam non satis esse sensibilem; 2.) Per consequens, exiguae caloris mutationes, praesertim in aere, aut plane non aut oppido tarde significare; 3.) Spiritum primo quidem in tubo satis velociter, quo altius vero haeret, eo segnius ascendere; 4.) Immo haud raro, quum certum quendam altitudinis gradam attigerit, aucto satis postmodum calore, immotum pendere; 5.) Et e contrario vehementi licet frigore, non adeo profunde, ut decebat, descendere; 6.) Tandemque post aliquot annorum usum, successi-

ue

ue insensibiliorem, & quasi ad negotia sua negligentiorem fieri, & pigritiae, si ita loqui fas est, cūdam adsuescere, donec omnis machina plane reddatur inepta, nihilque porro valeat.

§. III.

Indigitata vitia, quorum saltem potiora re-censuimus, si penitus perpendantur, *causam* eorum tam in *vini spiritu*, tam in *modo compo-nendi machinam*, latitare obseruamus, & con-sequenter rationem defectuum 1. aut in *fluido* quod calor mouet; 2. aut in *spatio*, in quo mo-ueretur esse querendam, patet.

§. IV.

Primus igitur & *secundus* defectus (§. II. 1.2.) solum ex *spiritu*, *tertius*, *quartus*, & *quintus*, [§. II. 3.4. 5.] ex *spatio*, ejusque constitutione, & *sex-tus* (§. II. 1.6.) demum haud raro ex *utroque* de-riuandus est.

§. V.

Palmarium vero *spiritus* vitium merito habetur si non satis tenuis, aut leuis est, & ideo a calore neque sufficientur, neque satis velociter ex-pandi, & rarefieri potest; ex quo sequitur, vt sic extreum sensibilitatis gradum non ade-ptus sit, & inde exiguae caloris aut frigoris mu-tationes aut plane non, aut nimis tarde, & se-gniter monstreret. En primi & secundi morbi (§. II. 1.2.) sufficientem rationem.

§ VI.

§. VI.

*Est autem vini spiritus eo lenior, eo que tenuior
quo purior, id est, quo paucioribus partibus
alienis, aut heterogeneis inficitur.*

§. VII.

Partes heterogeneae, spiritus volatilitatem
quasi figentes, rarefactionem, & consequenter
amplioris sparii occupationem impedientes,
quibus communiter inficitur (§. VI.) sunt: 1.
nimii phlegmatis praesentia; 2. aeris intra poro-
los, vel interstitia partium constituentium la-
titantis bullulae; 3. demum ato mi quidam ad-
gregati certo quodam colore, flavo, rubro &c.
[§. I.] eundem singentes, qui eo magis rarefa-
ctionem impediunt, quo specifice grauiores
sunt spiritu.

§. VIII.

Ex his necessario sequitur: vt 1. *Spiritus
vini*, quo fortior, id est, quo adcurior dephle-
gmatus, aut vt Chemici loquuntur, quo ma-
gis rectificatus est, aut ad alcohol accedit, eo
aptior ad thermometra confienda deprehen-
datur.

§. IX.

2) *Quo pauciores aeris bullulas intra se oc-
cultat, eo melius nostro fini inseruiat.*

SCHOLION.

*Has bullulas, vel particulas aereas haud parum ad
spiritus rarefactionem conferre, credi quidem
posset, quippe quod calor aerem facilime & vi-
tra modum extenuat & rarefacit, sed probe con-
siderandum est, licet id sue modo verum sit, utrum
haec*


Tab.I.ad Spec.VII.et VIII.


SpecVII


Obs.IV.



Fig.II.
SpecVIII . Mant.no.I.







haec spiritus ab aere intra eius interstitia contento dependens rarefactio, invase aperto, vbi cili-
cet aeri externo accessus patet, an vero invase
hermetice clauso, (§. 1.) vbi nullum est spiritum
cum externo aere commercium, fieri debeat? Ex
quo simul patet, Florentino illi instrumento no-
men Thermometri nondum exakte competere,
sed simul esse illud Manometrum, in quo nempe
calor, aut frigus externum, aerem intus conten-
tum rarefacit, aut condensat. Vid pluribus Il-
lustr. WOLFFIVS Phys. experim. II. cap. IV. V.

§. X.

3) Quo leuiores sunt atomi spiritum tingentes, eo minus eius rarescendi vi resistant.

SCHOLION.

Postremum hoc consuetarium, ratione oppositi, non
quidem adeo magni momenti defectum excitarē
videtur, & modo reliqui grauiores non deprehen-
derentur, parum omnino curandum esset. Si ve-
ro clarum est, etiam aliquid, quo minus adcurata
dici mereantur thermometra, conferre (§. VII. 3.)
sequitur ut & aliquam postulet considerationem,
imprimis quā experientia teste, spiritus rube-
dine, flauedine, aut alia tinctura imbutus, succe-
ſu temporis pallescat, & particulas aliquas, vel
ſub pulueris, vel mucilaginis forma, ad fundum
phiolae praecipitet, aut parietibus vitri adgluti-
net. Rationem huius phaenomeni reddit Che-
mia partim, partim Hydrostatica. Quando autem
spiritus, ex Illustr. WOLFFII Consilio, Phys. Ex-
per. II. §. 72. cum Venere ſive cupro, & sale am-
moniaco Colore coeruleo tingitur, consequens est,
ut partes vel corpora ipſo ſpecifice longe graui-
ra admisceantur, & ideo vi rarefactionem eius
impediendi, eo maiori praedita ſint. (§. VII. 3.)
Lubens adhuc taceo, vini spiritum eo pauciores
eiusmodi metallicas particulas in poros ſuos aut
inter-

interstitia recipere, & sic eo minus tingi, quo magis est dephlegmatus (*Per principia Chem.*) Color enim iste sapphirinus, licet oculis gratissimus, saltem adscitius, nec spiritui adeo vnitus est, ut cum eo quasi corpus homogeneum constituat, sed aggregatum tantum, prout ex destillatione adpareret, ubi spiritus omnis coloris expers, aquas limpi dissimae ad instar, alembicum iterum transfit, relicta in cucurbitae fundo tinctura venerea.

§. XI.

Spatium phiolæ, nempe interior cavitas instrumenti thermometrici, intra quod spiritus mouetur, (§. III. 2.) quatenus tale, nulla defectum causa existit, sed exigua *aeris portio* in eodem contenta, qui aer, spiritus intubulo ascensum, elatere suo, & quidem eo fortius quo altius iam penetrauit humor, impedit. Et posito, quod omnis etiam aer, ex phiola expellatur, antequam hermetice clauditur, successu tamen temporis, qui in spiritus porulis latet, per externi caloris actionem, & quasi digestionem, euaporabit, spatiū superius tubuli vacuum implebit, & per consequens spirituosi liquoris adscensui, pariter deinde impedimento erit. Imo si etiam, quod forte obiici possit, spiritui sese insinuaret iterum, satis est, quod hoc modo ad tempus saltem vitiosum redderet thermometrum. Non aliter si aer in spiritu latitans, eius compressionem suffici entem impedit. Ex his simul sumtis, tertii, quarti, & quinti defectus ratio (§. 2. 3. 4. 5.) dilucide adpareret.

§. XII.

§. XII.

Quando igitur Spiritus non satis leuis (§. V.) sed aere grauidus, (§. VII. 2.) aut particulis heterogeneis, specifice praesertim grauioribus, imbutus, (§. VII. 3.) & spatium in quo se se mouere debet, ab aere non sufficienter purgatum est, (§. XI.) ratio sexti defectus, [§. II. 6.] cur nempe thermometra successu temporis languescant, clarissime patet.

§. XIII.

Inde sequitur loci thermometri simplicis, nobis in vsu esse *Manometrum ei combinatum*, (§. VIII. *Schol.*) & ideo emendationem esse necessariam.

§. XIV.

Recensiti defectus, [§. II.] non aliter ac in morbo, signa iudicantia exhibent, modumque quasi digito monstrant, quibus conditionibus thermometrum *absque Manometro* simul combinato (§. XIII.) construi posset. Praetensa vero *Emendatio* fundatur sequentibus postulatis. Si 1.] spiritum ad eo tenuem levemque, quantum possibile, redderemus, eique consequenter extremum potentiae se se expandendi & rare faciendi gradum conciliaremus; 2.] omnem aerem in eius porulis occultatum, expelleremus; 3.] & eum denique eius modi colore tingere mus qui quasi cum spiritu in corporis homogeneum, abiret id est, adeo arcte cum eo combinaretur, ut non adgregatum, sed vere mixtum efficeret; 4.] spatium porro, in quo motus ex-

Spec. VII.

F

pan-

pansiuus fieri debet, ab omni aere plane vacuum redderetur. Quae si fiant, dubium non est, quin exactissimum, & ab omni parte absolutum haberemus therinometrum.

§. XV.

*Primum & tertium indicatum, (§. XIV. i. 3.) vt pharasi medica nunc vtar, ex Chemica penus secundum & quartum ex mathematica maxime de-
promitur.*

§. XVI.

Fontibus sic remediorum detectis (§. XV.) ipsa methodus medendi, sive *adPLICANDI* haec media *modus*, nunc explicandus restat, vt sine intento potiri liceat.

§. XVII.

Sit igitur *Problema primum*:

*Spiritum Vini ad extremum leuicatis gradum per-
duce e*

1) Recipiatur Spiritus Vini vel frumenti communis, satis bona quantitas, quae placet;

2) Desiletur (†) per alembicum in balneo arenae, & quidem a) lento iuge (*) b) exalta cucurbita; (††)

3) Labor iste, quem rectificationem Chemicæ vocant, aliquoties ac tam diu repetatur, donec in verum Alcohol mutatus sit Spiritus, ita vt guttula eius, alte ex vasculo effusa, terram cadendo non attingat, sed in auras eu-
let. (**) Q. E. F.

SCHOLION.

(†) Si cuidam eruditorum haec vocabula, artis chemicæ technica ignota sint, nec intelligat, quid defili-

destillare, quid alembicus, balneum, cucurbita, alcohol &c. significant, is *Chemiam nostram* Part. I. Cap. I. §. IX. pag. 14. Cap. II. §. XL seqq. pag. 90. aliosque huius farinae libellos, praesertim **SOMMERHOFFII Lexic. Pharmacent. & RVLAND. Lexic. Alchem. his vocibus adeat, aut si ipse quis processum elaborare nesciat, nec requisitis necessariis instructus sit, eundem chemico cuidam diligent, vel pharmacopoeo committat.**

(*) Si nimis vehementi & quasi praecepiti calore pellatur spiritus, rectificatio quidem citior procedit, at simul maior phlegmatis copia adscendit, per consequens eo saepius reiterandus erit labor, & sic tempus, labor ipse, impensa aliquoties sine fructu perduntur, quibus tamen festinata diligentia parcere volebamus.

(**) Quo altior est cucurbita, eo paucioribus opus est rectificationibus. Nam simplex destillatio ex alta cucurbita instituta, magis rectificatum dat spiritum, quam fere duplex in humili peracta. Ratio patet: Spiritus enim specificie leuior, & per consequens volatilior est phlegmate, hinc illud mediocri calore non tam alte, ut is, pellitur, unde spiritus per destillationem, etiam tantum unice ex alta cucurbita institutam, purior & leuior colligitur, quam in humili cucurbita duabus rectificationibus.

(***) Haec probatio non eget demonstrationem, aliae, verbi causa, pulueris pyrii accensio, hic non sufficiunt. Omnia optima alcoholisati spiritus probatio, per Hydrostaticam instituitur, quando nempe post singulas rectifications, cum metallici in spiritum immisum pondus exploratur, reperta nempe inter ultimam & penultimam destillationem, ponderis imminuti parua vel nulla differentia, spiritum in alcohol iam muttatum esse, & nostro visu optimè inseruire credas. Si vero spiritum

adeo rectificatum posceres, ut omni careret aquositate, vix fluidum continuum, sed semivaporosum potius, & ideo parui hoc loco usus te recepturum scias. Tres vel quatuor rectificationes, ea quam commendauimus sedulitate & encheiribus institutae, omnem absoluunt paginam spiritumque satis purum, nostrae intentioni haud ineptum efficient.

§. XVIII.

Problema secundum:

Spiritum tingere:

1) Recipiatur Radix *Pimpinellae nigrae officinarum*, quam etiam *coeruleam* vocant, ad libram Spiritus circiter unciae duae vel tres, concisa groso modo spiritui immittatur, & per aliquot dies maceretur; (*)

2) Peracta maceratione instituatur more consueto destillatio, (§. XVII.) qua Spiritus, iucundo sane spectaculo, tintus colore gratissime *saphirino*, vel *coeruleo* alembicum transgredietur; (†)

3) Si autem spiritui destillando, radicem *pimpinellæ coeruleæ*, & anaticam partem *Roris solis* quantum satis est (§. XVIII. 1.) infundas, liquor stillatius effluet *colore gratissimo marino vel viridi tintus*; (**)

4) Si vero siccatam herbam *Roris solis*, iusta quantitate (§. XVIII. 1.) in Spiritum infundas, & post aliqualem macerationem, instituas destillationem, liquor prodibit *coloris aurei*. (††) Q.E.F.

SCHOLION.

(*) Parum inter est, si radix dicta aut primam aut postre-

postremam rectificationem spiritui addatur, eoque maceretur, quia effectum semper producit eundem. Si vero dicendum quod res est, ego autor sua forque sum, ut primo statim super radicem rectificetur spiritus, ante secundam vero rectificationem ad hoc semel cum noua radice, eadem quantitate (aut si iam satis tinctus adparat, dimidia tantum, ne nimis obscure coeruleus euadat) infundatur, demum tertia aut quartaria vice absque ullo additamento per se rectificatio instituetur ita enim spiritus erit sufficienter colore imbutus, & si quae ipsi adhaereant partes heterogeneae, postremis destillationibus omnino separabuntur.

(†) Pauce sance, praeter hanc radicem, vegetabilia huc usque Chemicis inuotuerunt, quae vini spiritum aliquo colore infectum super alembicum ducent Conf. ELSHOLTZII *Destillator curios.* imprimis Cap. XIII. pag. 48. seq. Reliquas enim tinturas, quasi fneum quendum peregrinum, ex cucurbita destillatus, post se relinquit, & semper omnem respuens colorem, aquae ad instar limpidus alembicum transcendit.

(**) Hoc experimentum ELSHOLTZIO etiam debemus qui illud in *Destillator. curios.* Cap. XIII. Exper. V. pag. 51. describit.

(††) Vid. ELSHOLTZ Lib. cit. cap. XII. Exper. II. pag. 46.

§. XIX.

Quia Spiritus Vini, omnia corpora eundem tingentia, inter rectificationem per alembicum, dimittit; (*per Experientiam*) sequitur vt sint specifice grauiora spiritu, consequentur vt cum eo mixtum constituant inepta, sed adgregatum tantum fstant; (*§. X. Schol.*) si

F 3

vero

vero tinctura (vere talis non fucus) eandem fere grauitatem specificam cum eo habeat, & respectu formae internae eidem sit similis, consequens est: vt ad *compositionem* (*) cum spiritu sit apta, alembicum ideo transcendat, & difficulter, aut plane numquam se ab eo separari patiatur. (†) Talis igitur noster est Spiritus, quocum tinctura corpus quasi constituit homogenium, & per consequens ille est, qui defectibus recensitis (§. VII. 1. 3.) non laborat, & ideo conditioni primae ac tertiaeae [§. XIV. 1. 3.] satisfacit. Q. E. D.

SCHOLION.

(*) Quidam Chemici inter *Vnionem*, *Mixtionem*, *Compositionem*, *Decompositionem*, *Superdecompositionem*, & *Adgregationem* adequare distingunt. Conf. praeter BECCHERI *Physe. Subst.* STAHLII *Chem. JVNCKERVM Conf. Chem. Tab. IV. V. IX. & X. & nostram etiam Chemiam. Part. I. Cap. III. §. LI. pag. 122. seq.* Cunctae vero nil aliud sunt nisi variae corporum, aut unius aut diuersae naturae ac qualitatum, cum aliis corporibus combinationes eaeque vel arctiores & intimiores, vel minus tales, & fundamentum agnoscunt minimarum partium constituentium figuram determinatam, mobilitatem, motum, ac grauitatem specificam.

(†) Exempla huius rei satis superque praeberet Chemia. Vnde patet spiritum vini nihil magis adpetere, quam oleosa, vel sulphurea, & cum nullo arctius combinari quam cum iisdem, ita ut nonnisi singulari quadam encheirisi ab eorum commercio iterum liber reddatur. vid. Excell. TEICHMAYERI *Institut. Chem. Part. II. Cap. III. pag. 81.* Haec combinatio vel *compositio* eo firmitior

mior fit, quo leuiores & tenuiores particulae oleosae per reiteratam rectificationem, & sic spiritui magis magisque similes euadunt. Hinc admodum credibile videtur, quod Pimpinellae coeruleae radix, oleum quoddam aethereum, spiritui vini admodum analogum in se contineat, quid vero illud sit, quo coeruleam ex eo tinturam spiritui imprimit, difficile dictu est. Florum Chamomillae romanae oleum aethereum, etiam coeruleo praeditum colore, alembicum quidem transit, sed spiritum tamen eadem tintura non imbuit, ut exinde parum lucis phaeno-
meno nostro adfundatur.

§. XX.

Problema tertium :

Spiritum viui, ab omni, intra poros delitescente aere, liberare.

Ponatur sufficiens spiritus nostri rectifica-
tissimi, (§. XVII.) caerulaei, aut alio quodam
colore imbuti (§. XVIII.) quantitas, quae nem-
pe ad phiolam thermometri iuste replendam
fatis est, in vasculo vitro amplioris orificii,
sub campanam *Antliae pneumaticae*, (†) & tam-
diu embolus ex agitur, donec omnis *aer* ex
spiritu sit expulsus, (*) cuius signum est remit-
tens Spiritus ebullitio. Q.E.F.

SCHOLION.

(†) Hic praesupponimus, labores ad huius proble-
matis solutionem facientes, operatori esse omni-
no notos, eique usum Antliae familiarem, qua
de causa nihil aliud praeter id monemus, quod
nempe non nimis festinanter procedatur, sed va-
sculum, licet spiritus non amplius etulliat, &
vesiculos eructet, per aliquod temporis spatium

adhuc in vacuo relinquatur, ac aliquoties adhuc embolus agitetur. Eximiam huius cantelae vtilitatem variis in locis monstrauit Illustr. WOLFFIVS. *Physic. Exper. Tom. I.*

(*) Longe felicior faciliorque procederet aeris expulso, si spiritus in vasculo inter exantlandum cum ratabulo quodam interdum agitaretur, praeferunt circa operationis finem, vbi ebullitio cefare incipit. Quomodo vero campana constituta esse debeat, sub quo eiusmodi agitatio fieri possit, tanquam notum praesupponimus, & letores interim ad VALENTINI *Museum Museor.* WOLFFII *Phys. Exper. Tom. I.* TEICHMAYERI *Physic. Experim.* BOYLEVM aliosque, qui figuris eiusmodi campanas expresserunt, ablegamus.

§. XXI.

In reddendis huius problematis (§. XX.) rationibus omnino nullum nobis facessemus negotium, quum praeter alias magni nominis Physicos, easdem ex principiis Aerometricis fluentes, Illustr. WOLFFIVS copiosis desuper institutis experimentis, *in Phys. Exper. Tom. I.* recensitis, ad amussum demonstrauerit, atque reddiderit.

§. XXII.

Problema quartum;

Thermometrum construere, in quo spatium spiritus ad sensu & descensu destinatum [§. III. 2.] ita constitutum est, ut nulli machinae defectui [§. XI.] occasionem subministret.

I.) Recipiatur phiola vitrea, (†) prout communiter ad thermometra adhibetur, (§. I.) cuius

ius tubus vel collum ad minimum quatuor pedes sit longum. Ratio huius longitudinis mox ad parebit;

2.) Impleatur tanta spiritus nostri rectificatissimi, (§. XVII.) tincti, (§. XVIII.) & ab omni latente aere liberati, [§. XX.] copia (*) quanta ad plenariam globuli, & tubuli ad unius tantum vel duorum digitorum ascendentem repletionem, necessaria habetur;

3.) Phiola deinde Antliae pneumaticae, eodem, quem in sequentibus mox trademus, modo adplicitur, & omnis in tubo spiritui incumbens aer euocetur;

4.) In hoc statu Antliae videlicet arcte conexa, phiola hermetice claudatur, in tubo nempe, circatrium propemodum pedum altitudinem. (††) Q. E. F.

SCHOLION.

(†) Consultius adhuc esset, si phiolae venter vel globus, figuram non exakte globosam, sed potius sphaeroideam, aut lenticularem referret, ita scilicet ut v. gr. ductus per aequatorem diameter, tertia parte brevior esset eo per polos. Sicco tamen pede hic non praetereundum est, quod ventre, qua descripsimus forma, conflato, etiam tubuli interna capacitas augustinior, quam confuetudo more, esse debeat, quia spiritus rarefactio, etiam si ita incalescat, ut parum ab ebullitione difficit, ultra decimam tertiam spatii antea occupati partem, vix adscendat, Conf. Illustr. WOLFFII, Phys. Experim. Tom. II. §. 60. Rationes tam figurae ventris Sphaeroideae & lenticularis, quam proportionis inter globi seu ventris, & tubuli seu

col-

colli diametros, reddit idem WOLFFIVS, Lib.
cit.

(*) Methodus, spiritum in eiusmodi angustioris
colli phiolam infundendi, satis nota est, & omni-
um facillime, ope parui siphonis, [durch ein klein
Stechzubrachten] aut in eius defectu, per phiolae
incalcentiam, & hinc deriuatam aeris expulsi-
onem, peragitur.

[††] Melius est, quando altitudo tubuli, vbi sigil-
latur, tres pedes excedit, quam deficit, & qui-
dem ex hac ratione, quia spiritus nostro more
praeparatus multo leuior est communi, omnique
insuper ab aere intus latitante liber, ac per con-
sequens longe facilius rarefactionem patitur; ac-
cedit porro spatium ab omni aere, alias elatere
suo spiritus adscensum remorante, vacuum; vt
adeo spiritus noster altius adsurgat, quam com-
munis, & consequenter, longior tubus aptior sit
breuiori.

§. XXIII.

Quum igitur primarius thermometrorum
defectus in eo consistat, vt non sola sint thermo-
metra, sed simul etiam Manometra, [§. XIII.]
Conf. Illustr. WOLFF. Physic. Experiment.
Tom. II. §. 57. 58. 55. 66. 67. & ideo tam spiri-
tus (§. V.) quam spatium in quo mouetur [§.
XL.] in culpa sint; Nos vero sufficientem mon-
strauerimus emendationis modum; (§. XIV.)
Nec possibilis dari possit ratio, quare thermo-
metri juxta propositas encheirises, & caute-
las minus succederet constructio: consequens
est, vt Thermometrum nostra methodo, iuxta quar-
ti problematis praesertim leges paratum [§.
XXII.] ab omnibus defectibus, quibus hucvs-
que

que laborauit, sit liberum, & emendatum, hinc
longe adcuratius, longeque citius communi,
caloris ac frigoris gradus indigitet Q.E.D.

§. XXIV.

Problema quintum;

Thermometrum Antliae sic applicare, ut aer spiritui in tubo incumbens expelli, ipseque tubus in hoc statu hermetice sigillari possit.

1.) Imponatur Antliae pneumaticae disco, campana seu conus metallicus paruu detrunatus, cui arête connexus fit tubus metallicus bis ad angulum rectum reflexus, ut figura addita (conf. Tab. I. Fig. II. bujus specim.) monstrat;

2.) Huius tubi extremitati seu alteri orificio, immittatur thermometri spiritu vini nostro jam repleti (§. XXII. 2.] tubi vitrei extremitas, ea que luto quodam sapientiae coloris vehementiam facile ferente [*] adeo firmetur, ut nullus aeri pateat aditus;

3.) Luto deinde exsiccato, exerceatur Antlia, & omnis evacuetur aer tam intra conum siue campanam, quam in thermometri cono conexo tubulo restitans (†) omni qua fieri potuit cura. Quod prius erat.

4.) Aere diligenter exantlato, tubas thermometri vitreus circa trium pedum altitudinem more nostro alibi jam exposito, [**] vel paulo altius demum claudatur. Quod erat postremus.

Ita thermometrum ex nostra mente vitiis omnibus carens paratum est.

SCHO.

SCHOLION.

(*) Quum hermetica sigillatio non aliter, nisi satis vehementi flamme calore absoluatur, & peragatur; & thermometrum ipsi Antliae adPLICatum, vt intus ab omni aere vacuum maneat, sigillandum sit, ratio huius canticulae cuilibet in oculos incurrit. Lutum enim si nimis molle, vt Chemici amant loqui, idest in calore non satis constans esset, & deliquesceret, prout omnia, expice, resina, uno verbo, sulphureis corporibus, calore liquari solitis, confecta; aeris sub conum aut campanam ingressum, non impediret, ac per consequens laborem inanem & frustraneum. Accedit, quod quum calor in corpore quodam calefacto magis versus superiora, quam inferiora nioneatur, Illust. WOLFEIVS *Phys. Experimental.* Tom. II. §. 125. & orae insuper extremitas lutata vix pedem unum super locum sigillandum eleuata, (§. XXII. 1.) & consequenter vehementi caloris vi exposita sit: vel ex eo etiam capite lutum maxime durum fixumque, ignem eludens requiratur. Istud quod in *Chemia nostra*, ex calce viua, farina triticea, albumine oui &c. paratum Part. I. Cap. II. §. XLIV. pag. 106. seq. describitur, aut aliud ex calce viua, & recenti caseo confectionum, in lapideam fere per torturam ignis duritiem abiens, hue maxime quadrare videntur.

(†) Quod ad hanc operationem adtinet, vt notam praefipponimus, nihilque, nisi quod iam semel monuimus [§. XXII. 3.] hic etiam obseruari volumus.

(**) Sigillatio commodius sane fieri inequit, quam a nobis *Chem. Part. I. Cap. II. §. XLV.* pag. 108. seq. descripto more, (a) vt adeo nihil moneamus, praeter id, quod omnis eo dirigatur cura, vt parietes tubi:

(a) Quum peculiares hermetis sigillum applicandi encheirises, non ubique obuias, & hoc maxime fa-

tubi vitrei arctissime ad se inuicem accedant nullumque aeri externo foramen, quam angustum etiam sit, relinquatur.

§. XXV.

Vt omnia quae postremum requirit problema [§.XXIV.] clariora reddantur, penitusque intelligi possint, figuram addimus, [Tab. I. *hujus spec. Fig. II.*] cuius haec est explicatio.

- a. b. Discus Anilie pneumaticae metallicus;
- c. i. Campana, siue conus metallicus de truncatus, disco impositus;
- d. e.f. Tubus cono contiguus metallicus bis reflexus;
- f. Orificio vel extremitas tubi metallici cui immissa superior thermometri, siue violae vi-
treæ pars, luto sapientiae firmiter adgluti-
natur;

g. h.

cientes Cl. AVTOR in citato opusculo exhibeat, id autem lingua vernacula exaratum sit, in exterorum gratiam, locum huc pertinentem latio donatum curauimus inserendum. Recipiatur, inquit, *Olla culinaris terrea*, eiusque interior planum perforetur, ut phiolae collum faciliter transeat, ollæ huic inuerso more posita, imponatur scutella, vel parvulum vasculum latum terreum, pariter in fundo perforatum. Jam phiolae collum per ollæ ac scutellæ foramina, fibra inuicem parallela mittatur, venterque phiolae in olla occultetur. Impositis deinde scutellæ, paucula cinceras prius quantitate replete, viuis carbonibus, eminus primo, ut vitrum pede dentim calorem ferre discat, paulo post propius ignem admonendo candeat. E euadat molle ac flexible. A repta demum, forci prius excalafacta, collum phiolae arcte ad se inuicem comprimitur, compressi, aucto ad ultimum gradum igne, particula forfice absindatur. Ignis deinde successive remoneatur ut phiola tenui gradu iterum refrigerescat. **COLLECTORES.**

- g. h. Ipsum thermometrum;
 g. Locus trium circiter, pedum altitudine a globo phiolae distans, vbi sigillatio administranda erit;
 h. Spiritus noster tintus, ad unius vel alterius digiti mensuram, tubum, praeter globi cavitatem, replens.

§. XXVI.

Caeterum cuilibet erudito, hoc problema saluenticam in haerere dexteritatem, nulli dubitamus, vt thermometrum, tam aeris exant laudi, quam hermetice sigillandi gratia, Antliae applicatum, durante operatione in comodo situ veticneat, & ita firmet ne forte inter ipsam operationem frangatur. Supponi potest ventri, vel in prominentio vel scanno, quiescenti, fertum stramineum, quo minus tractionis periculum subeat. Id etiam dicendum est de sigillatione. (§. XXIV. 4.) Olla cum scutella [§. XXIV. a.] tripodi impontantur, vt scutella locum [§. XXV. g.] propemodum attingat. Ingenium inueniendi facilitate praeditum, & usus, hac etiam in parte encheirises facile subministrant, & artificem, aut magistrum faciunt.

§. XXVII.

Problema sextum;
Gradum Caloris & frigoris scalam construere; ()*
 i. Immittatur venter thermometri in vasculum aqua frigida plenum, cui glacies, nitrum & sal ammoniacum iusta proportione admiscetur. Ill. WOLFF, *Physic. Experiment.*, Tom. II. §.

E s. 117. BOERHAVE Clem. Chem. Tom. I. Part. II.
de igne pag. m. 143. seq. (†)

2.] Quo factō, notetur punctum, ad quod
spiritus a frigore compressus fuit; (**)

3.] Postea thermometri venter manu calida
foueatur, (††) aut in vasculum cinere calido re-
pletum imittatur, cui deinde ad huc carbo can-
dens vnu vel alter supponatur, [***] & post
aliquam moram, facta prius humidi spirituosi
rarefactione, punctum summae altitudinis ite-
rum notetur;

4.] Spatium inter infimum & supremum
punctum notatum (§. praeſ. 2. 3.) in certa ite-
rum spatiola, quae gradus dicunt, distingua-
tur. Q. E. F.

SCHOLION.

[*] Haec res, licet admodum nota, parvique artifici
esse videatur, eo tamen laborat vitio, ut graduum
diuīsio, non consultis antea experimentis, & ne-
que postremo rarefactionis & ascensus, neque con-
densationis & descensus puncto determinato, sed
fortuito & voluntario conatu communiter perfic-
ciatur, quare etiam quantum potest, emendarē
debet.

(†) Tantum frigus hac mixtura, & consequenter
arte excitare potest, testante BOERHAAVIO
loc. cit. quantum nunquam, etiam urgente his
oris hyeme, sua sponte oritur. Mirum omnino
videtur, frigus artificiosum, naturali intensius a-
quam in glaciem non vertere, cum longe remis-
fiori naturali concrescat. Sed haec huius loci
non sunt. Interim ex hoc experimento adparet,
quod thermometrum nostrum, aeris frigiditatem,

quam

quam vel atmosphaera in nostris regionibus concipere possit, adcuratissime determinet.

(**) Inde ratio adparet, cur tubus ad vnius vel alterius digiti altitudinem Spiritu simul sit implendus, quia, hoc intermisso, Spiritus sese intra globulum reciperet, antequam etiam frigus satis intensum, obseruaretur.

(††) BOERHAAVE egregiis experimentis *Clem. Chem. Tom. I. Part. II. de igne pag. m. 170.* demonstrauit, quod si aer, ad eundem tantum cum sanguine nostro caloris gradum perueniret nemo mortalium in tanta atmosphaerae incandescentia viuere possit. Aer ergo, siero etiam vrente, imone subaequatore quidem in ipsa torrida Zona, non aequa ut fanguis noster in statu naturali, incandescit, per consequens admota manu tam alte Spiritus pellitur, quam nunquam ab aere etiam calidissimo nos ambiente fieri solet. Si porro accedat ipse ignis, sequitur ut Spiritus ad extremum raritatis gradum (§. XXII. †) cogi possit, & inde thermometrum nostrum ad curatissimum amplique usus euadat.

(***) Autor suasorque sum, ut illud tentamen, omni qua fieri potest, circumspectione suscipiatur, ne Spiritus leuissimus, (§. XVII.) nimium imo ad ebullitionem excalefactus, thermometrum rumpat Chemici haud raro damnosas eiusque effectus experiuntur, quid nempe valeat inclusus Spiritus quid ferre recuset. Facile namque coctionis & limitis excedentis expansionis initium, in nostro Spiritu, ab omni latente intra poros eius aere liberato (§. XX.) obseruari nequit.

(†††) Ipsa scala non ad lubitum, sed certam notamque mensuram, pedem videlicet Geometricum, Rhinlandicum, Parisinum &c. determinari & dividendi posset, ut Spiritus altitudo per digitos, scrupulos

los aut linea exprimeretur. Hoc enim pacto, quilibet clariorem atque magis distinctam caloris aut frigoris gradus idem indigitat Spiritus altitudine, sibi formaret. Imo obseruationes Thermometriae, variis in locis, cum machinis ex nostra mente constructis institutae, adcuratus & facilius, inter se comparare liceret, praesertim si singulis obseruationibus instrumenti descriptio, quoad scilicet eius magnitudinem, & diametrorum tam ventris quam colli differentiam, & inter se proportionem, atque Spiritus grauitatem specificam &c. praemitteretur.

§. XXVIII.

Istae sunt, quas oculis TVIS, EXCELLENTISSIME GOELICKI! totiusque eruditioris, dignas censui *meditationes*; Indica, ea quae decet libertate, & si quae minus recte posita obserues, corrige, dele, aut emendare non gravare. Theoretica namque sunt, & problematice tantum conscripta, quia id nondum contigit otii & occasionis, ut quae mente saltem concepi, in praxin & usum perducere potuisse, aut quae possibilia nunc tantum habentur, experientia comprobarem. Fiet autem id prima fere mihi offerente occasione, nec, quomodo successerit tentamen, tacebo, aut, quae experimenta cum endato thermometro instituta sunt, publico subtraham.

TANTVM.

Spec. VII.

G

Num.

Num. II.

D. JOHANNIS CHRISTOPHO-
RI MVELLERI,

Medici Margliffensis Lusatii,
Epistola

AD SATYRARVM COLLECTORES
conscripta

De ligno Indiae Occidentalis,
GALGAG dicit.

Magna certe animi voluptate in Silesiae No-
nis litterariis vestram, VIRI PRAE-
STANTIMI atque clarissimi Epistolam inuitato-
riam ad Medicos patriae vestrae directam, per-
spexi, qua propositum & conatum vestrum
laude dignum ad incrementum artis salutaris,
Physicae, Anatomiae, Chemiae, Pharmaciae,
Chirurgiae, Botanicae, & quidquid ad Medicinae
nostrae ambitum pertinet, vberius decla-
rasti. Propositum enim vestrum id intendit,
obseruata & annotata Medicorum, quorum pa-
tria vel domicilium, Doctissimorum virorum
ac rerum naturalium Amatorum fertilissima
Silesia est, sub nomine Medicorum Silesiacorum
SATYRAE, Ephemeridum more, luci publicae
reddere. Cum vero in secundo Satyvarum Ve-
strarum Specamine, Epistolam Dni. L. BENJA-
MIN SCHICHTI, Medici Gorlicensis fami-
geratissimi, atque felicissimi, extra Silesiae limi-
tes in Lusatia nostra, Silesiae vicina, natam, a-

vo-

VOBIS non solum beneuole acceptam, perle-
gi, sed etiam in *adjecta adnotatione*, in uitatio-
nem vestram humanitatis plenam ad reliquos
vicinarum provinciarum Medicos, quod sym-
bola sua *Satyris* vestris conferre velint simuli no-
taui: Qua de re non deesse volui, *Lignum* quod-
dam *Indiae Occidentalis*, plurimis ad hoc igno-
rum in *Satyris* vestris eruditissimis, praesenti
epistola orbi erudito medicoque notam red-
dere.

Ligni huius exotici Nomen est **GALGAG**,
& haud ita pridem a quodam arti Chirurgiae
dedito, jam vero in India Occidentali merca-
turae operam nauante, qui KVNDIVS ad-
pellatur, primum ut scio in Germaniam, &
quidem in Lusatiam nostram allatum qui fra-
tri suo uterino D. HEILIO ICto Doctissimo, &
supremae Praefecturae Budisfinae Causarum pa-
tronu celeberrimo, Scipium cum operculo
ex eodem tornari curavit. Cum autem, iam
nominatus Dn. HEILIVS nuperime Margif-
sam nostram inuiseret, inter alia huius ligni exo-
tici mentionem fecit. Verum enim vero cum
Libros Itinerarios, atque Materiae Medicæ
scriptores post ea evoluerem, & nihil de hoc
ligno inuenire potuerim, ad Praelaudatum Dn.
HEILIVM litteras exaraui, & vberiorem hi-
storiam botanicam & medicam ab eo petii, qui
vero de meo desiderio me parum certiorem
reddere potuit. Id autem quod expiscari licuit,
circiter sequentibus constat, quippe quod fra-

G 2

ter

ter eius, nempe KVNDIVS Mercaturae causa
ad Indos occidentales classe Gallica iamiam
profectus erat. Sat durum est lignum GAL-
GAG coloris ex spadiceo virideſcentis, cornu
quasi aliquod adspectu referens, quoad medi-
cum vſum, adhiberi salet in Lue venerea, vt
qui nefando hoc morbo inquinati sunt, potum
in fundant in eiusmodi Scyphum, ex hoc ligno
effictum torno, qui vero Scyphus nigricantem
adquirit colorem, non aliter acſi acri tintura
coloris abri effet imbutus, erſiehet wie schwärz
gebeizet aus. Rasura huius Ligni eiusdem ad
luem venereum eſt vſus, more decocti ligno-
rum, & celior aegrorum absoluitur curatio
qui decocto, quam ſola iinfuſione vtuntur. Ra-
ſurae GALGAG particula, quam mihi lau-
datus HEILIVS, literis ſuis humaniſſimis iun-
ctam, ſimul traſmifit, ex parte conuenit cum
raſura ligni Guaiaci, in eo vero diſſert, quod
Guaiaci Ligni ſcobs ſit pallidiori praedira
cole. Haec ſunt quaes vobis, VIRI CLARI-
SIMI de hoc Ligno communicare volui potui-
que. Summum quod omnes Veneramur
Numen conamina veftra ſecundet, & ad mai-
ius artis ſalutaris incrementum, nec non boni
publici vſum dirigat. Vos vero conatibus
meis porro fauete. Dabam Margliſſae in
iuperiori Lufatia. VI. Non. Octobr. cl. I.
CCXXXVII.

NVM.

N V M. III.

Vita

ADAMI CHRISTIANI THEBESII (*)

Philos. & Med. D. Practici Hirschbergensis,
atque Monasterii in Thermis Physici,
Acad. Nat. Curiosor. Collegae.

Ex Monumento

quod

Lubens & lugens

Ex Summa erga Socerum Pietate

consecravit

M. J E R E M I A S K E T Z L E R,
Eccl. Ceruimont. A. C. Diaconus.

D. O. M. S.

V Ere Christianos, non sola Christiani nomi-
nis professione gloriantes, non composito

G 3

ad

(*) Hunc tam propter artis medici non apud vicinos
tantum, sed & secandi peritiam, apud Exteros etiam
Celeberrimum VIRVM, exsplendida THEBESIO-
RVM Familia, multorum magni nominis praesertim
ab eruditione ducti, virorum, parta per Theologie,
Juris & Medicinæ scientiam fama illustri, ortum du-
cere, genealogica tabula nitide demonstrat, quam
Adm. Reu. & Doctiss. Dn. SCHARFFIVS, Theologus,
inter eruditissimos omnino locum merens, & Suidni-
genium ad S. S. Trinitatis aedem Primarius Pastor,

GE

ad sanctimoniam vultu, non ficto, simulatoque de diuinis rebus sermone, non inani probitatis specie, verae pietatis virtutem negantes, sed constanti in Christum fide, eius sub vexillo pugnantes, Christo non mundo placere gloriosum ratos, quo Deo cariores, eo ubique locorum rariores deprehendens, candidi fuci que expertis animi *Viator*, ne illorum propter paucitatem animo concidas, Saxum hoc pectoris tui erigendi causa erectum, intuere, & nisi saxeus es, iustis planetibus prosequere iacturam *Viri* irreparabilem, cum singulari doctrina verae pietatis studium, dum in uiuis esset, iungere soliti. Tegit enim *cineres*, non *memoriam*, Insignis *Hirschbergensium* Medici,
an-

GEORGII THEBESII *Annalibus Lignicensibus* ger manico idiomate exaratis, operi omni laude maiori, diu ab Historiophilis patriae desiderato, & Janoriæ demum Ao. 1733. in Fol. cum Fig. edito, pag. 23. *Prolegom.* inseruit. vnde patet praeter Patrem eius M. ADAMVM LVDOVICVM, Avum fuisse eidem ADAMVM, Archidiaconum Petro-Paulinum apud Lignenses, *Proanum* M. ADAMVM Pastorem Pe tro-Paulinum Eodem loco; *Abanum PETRVM* Saganensem Pastorem Seiffendorffensem; *Atanum ADAMVM* Pastorem Runiswaldeensem in Sorau & post exilium toletatum Herzogwaldensem in ducatu Saganensi; *Tritandum* demum JOHANNEM ex Can. Sagan Pastorem Latnicensem in ducatu Cro nnensi, raro sane exemplo, per duo saecula, tot ma jores non interrupta serie Theologos. COLLE CTORES.

antiquae *Thebesorum* stirpis splendore, Doctrinae praestantia, vitae integritate conspicui
ADAMI CHRISTIANI THEBESII, re, non tantum nomine Christiani. Hunc *Sandewalda* in ducatu *Wolauensi* sita, die XII. Januarii, A. O. R. MDCLXXXVI. in solarium optimorum parentum *Patris M. ADAMI LUDOVICI THEBESII*, Admodum Reuerendi *Miltschenium*, *Sandewaldenium*, inde Anno MDCLXXXVII. *Lignicensium* praeconis, apud hos quidem templi D. D. Petro-Paulini, absolutis utriusque Diaconatus gradibus, *Pastoris Primarii* vigilantissimi, *Consistorii Regii* dignissimi *Adsefforis*, coniunctarum *Scholarum* amplissimi *Præsidis*, Theologie meritorum multitudine clarissimi; *Matris EVAE ROSINÆ* natae **HERTELIAE, CHRISTIANI HERTELII**, ICti, Senatoris, atque *Acdilis* apud *Goldbergenses* solertissimi *Filiae*, feminae omnibus sui sexus virtutibus ornatisimae, orbi exhibebat. Parentum de dato sibi diuinitus filio laetissimum, Adamum se genuisse non nesciorum, vigilantia, ut in gremio Christianæ Ecclesiae natus, renasceretur Christianus, veraeque mortalium vitae visi Christo insereretur, sacro fonte lauandum curabat. *Goldberga* ab Anno MDCLXXXVII. in aedibus materni, cui cuæ cordique erat, aui vere patris, laudati **HERTELII**, ad dignam vere christiano vitam, non sine magna omnium spe, ultra se-

G 4

pten-

ptennium instituebat, primisque literarum ele-
mentis non leuiter tintum sub anni M. D-
CXCV. finem *Lignicio* reddebat, quod optimi
hunc parentis, optimaeque indolis filium
in florente ibidem *Scholu*, dexterimis iuuentae
moderatoribus **FRIDERICO RAVBBA-**
CHIO, MARTINO SIGISMVNDO
JOHNIO, fidelissimo imprimis **BAL-**
THASARO HER TWIGIO Prorectore
vsum, ingenio docili, industria vertinaci, mor-
rum modestia omnibus se probantem, ad
altiora Scholarum subsellia idoneum iudicans,
Anno MD cc. celebri apud *Wratislavienſis*
Gymnaſio *Elisabetano*, & in hac Praefantissi-
mis doctrina fideque magistris, **MARTINO**
HANCKIO Reſtori, **GÖTTLOB KRA-**
TZIO, non sine magno literati orbis luſtu
haud ita pridem defuncto, **GODOFREDO**
POHLIO, Professoribus perficiendam trade-
bat, tum vero literis, quibus ad humanitatem
informamur, egregie imbutum, *Athenae*
Christianæ, *Doctrinarum in Misnia* domicilium
Lipſia, Anno MDCCIV. Mense Aprili ad al-
tiora ducebat, vbi *Philosophiae* partibus ex ore
Celeber. **GODOFREDI OLEARII** haustis,
Hygeae operam nauaturus, peritisimos artis
Medicae Podalirios, **JOHANNEM BOH-**
NIVM, AVGVST. QVIRIN. RIVINVVM,
JOH. CHRISTOPH. SCHAMBERGIVM,
POLIC. GOTTL. SCHACHERVM,
CHRI-

CHRISTIAN. L. DOVIC. WELSCHIVM,
Humani Corporis structuram & sectionem,
Morborum genera, causas, incrementa, sym=ptomata, remedia, herbarumque vires mon=strantes, in publicis priuatisque scholis auide adibat, attentius audiebat vberrimoque erudi=tionis thesauro sibi comparato, & *Dresda*, morum elegantiae schola, perlustrata, notabili ob Suecorum in Saxoniam irruptionem Anno MDCCVI ad *Halenfium* Musarum castra trans=gressus, celeberrimorum ductu Medicorum,
GEORGII ERNESTI STALII, & FRIDE=R HOFFMANNI studiorum cursum strenue persequebatur vt *Ipse Anatomiam non sine o=mnium plausu doceret*. Virtutis autem tendentis plus ultra igniculis accensus, vt patrios aliquan=do Lares eo doctior salutaret, *Exteras etiam nationes visitare*, Doctorumque virorum per=fici praeceptis, vti consiliis, frui colloquiis, e re sua esse iudicans, Anno MDCCVII. ad nitidissimarum artium magistrum *Belgium* concesfit, & *Lugduni*, quam sagax corporis humani, prae=cipue *Cordis* investigatur fuerit, publico decla=raturus *Specimine, Dissertationem inauguralem De circulo sanguinis in corde doctissimam, innen=tique noni ergo celebratissimam, Ao. MCCCIX.* in medium protulit, [†] applaudenteque in=G 5 cly-

(†) Editione nos utimur noua correctiori, qua *Lugduni*:
Batanor, ex officina JOHANN ARNOLD LAN=GE,

clyſa Facultate Medica, ſummoſ in medicina ho-
nores, doctiſiſimorumque medicorum Lugdun-
nens. Ultraiect. Franeckeran, Amſtelodamenſium,
facilem aditum aeftimabilemque beneuolen-
tiam, inſigni humanitate, pariter ac eruditione
confequutus, non otiosus, ſed curioſus rerum
ſpectator, quicquid in maius doctrinae incre-
mentum facere videbatur, ſedulo obſeruauit.
Eodem vero MDCCIX. Anno moeftiſimis,
de optimi & immortaliter meriti Patris morte
literis, iſtictum piæ Matris MDCXCIX. die X.
April praemissaे obitu vulnus vehementiſime
reſtricantibus, in patriam reuocatus, opera ſua
Hirschbergae mancipata fideliter non minus
quam feliciter Medicam hic Pruxin exercuit, ma-
gnus naturae minister, artis Poeoniae magiſter
doctrinae gloria excellentiſimus in inuenien-
di applicandiſque remediis prudentiſimus.
Hinc inſignibus animi donis, Creatoris honori
aegrotorum valetudini, aut recuperandae, aut
corroborandaē vnicē conſecratis, quamuis can-
delae iſtar aliis iſeruiendo ipſe consumere-
tur, ſemper ad medendum paratus, plerumque
felix, cunctis confilio, multis dante Deo auxilio
profuit. Tantam in noſtra vrbe apud omnes
exi-

GERACK : 716, in 8vo Chart. Auguft. cum fig. HO-
VII, de Circul. Humor. in oculis opaſculo addita
prodiit, Conf. Excell. HEISTERI orac. de Incre-
ment. Anatomi. Saec. XVIII. pag. m. 51. COLLE-
CTORES.


existimationem, tantam in erudito orbe famam adeptus, vt communibus suffragiis duplici honoris accessione meritissimo officeretur, Anno MDCCXV. S. R. I. Leopold. Caroline NATURAE CURIOSORUM ACADEMIAE, socii longe grauissimi dignitate, quam, curiosis obseruationibus *Ephemerides Academiae augendo*, numquam non tueri contendit; Anno MDCCXIV. arduo *Physicatus* munere a splendidissimo *Hirschberg*. senatu obtento, quod superata omnium spe, rite, grauiterque ornauit. Quanto iudicio, & dexteritatis fideique studio *Templi Aug. Conf. addiēti*, constitutus eiusdem Anno MDCCXIV. *curator* curam habuerit, cordatores memori mente agnoscunt, fatentur, praedicant. Accesit in THEBESIO nostro, singularis plane modestio qua mirabiles sui amores sibi conciliare didicerat, fuit enim sine austeritate *gravis*, sine levitate *humanus*, sine adulatione *superiorum obseruantissimus*, sine ostentationis studio erga pauperes *beneficus*, quam beneficentiam Deus benefactorum memor, omnigena felicitate compensauit. Fuit enim coelesti gratia *maritus*, suauissima vitae socia, JOHANNA REGINA, virgine ani- mi, corporisque dotibus ornatisima, Nobilissimi Domini GODOFREDI GLAFÉY, vi- ri apud *Hirschbergenses* spe&tatisimi, Nego- tiatoris celeberrimi, Mercatorum *Senioris* am- plissimi, Collegii Ecclesiastici primarii *Antistiti- tis*

zis meritissimi, & Nobilissimae REGINAE,
natae BAVMGARTIAE, lectissima *Filia* in
thorum accepta, quae Ipsum semper coniu-
gali fide, & amore exhilaravit, nunquam ipsi
cum Ao. MDCC XVIII. Die 5. Augus*ti* e vita
discederet, adfixit: Felix *Pater*, a coniuge cha-
risima, post mortem desideratissima fusce-
ptis I. filia, IV. filiis, JOHANNAREGINA,
materni nominis participe, maternarum vir-
tutum aemula, Ao. MDCCXII. Die XXI. Febr.
nata, M. JEREMIAE KETZELRO, Diacono
Ecclesiae A. C. addictae Ao. MDCCXXIX.
Die XVI. Nouembr. collocata: ADAMO
GODOFREDO, Ao. MDCCXIV. die XXX.
April in lucem edito, in luce nunc academica
Lipsiae strenuo Studii Theol. cultore, patriae
desideriis, propinquorum votis, amicorum
omnibus satisfacturo: ADAMO CHRI-
STIANO, Ao. MDCCXVI. die 5. Mart. or-
bem salutante, Ao. MDCC XVIII. die XXVII.
Julii eidem valedicente; JOHANNE EH-
RENFRIDO & ADAMO CHRISTIA-
NO genuinis, Ao. MDCCXVII. die 6. Dec.
natis, hoc ad beatas sedes Ao. MDCCXVIII.
die 6. Aug. prouidentissimo patri praevio, illo
paternum studium laudabiliter amplexo; fe-
lix *Anus*, II. a filia neptibus, JOHANNA RE-
GINA, CHRISTIANA DOROTHEA, hac
tamen salutato vix mundo, coepi redditum
in viuis esset, exhilaratus, illa & nepote CA-
RQ-

ROLO IEREMIA Ao. demum MDCC-
XXXIII. die 15. Junii nato superstibis. Inter
omnes tamen felicitates, hac imprimis, se esse
vere Christianum gauisus, Christum non in
se tantum, sed etiam corde gestauit, contem-
tisque soli quisquiliis, soli Christo viuere in
pretio habuit, & cum vincere christianorum
sit, Christi virtute felix victor euasit : Vicit
enim Christianus noster invictum Deum assi-
duis precibus, quae Victoria vis gratissima est,
se ipsum quotidiano contra carnem confli-
ctu, mundum heroica constantique fide, inimicos
composita mansuetudine, calamitates christia-
na patientia, donec tandem non sero, quod
ipsi omnes ex animo optabant, senio, sed fasta-
li *Pleuritidis & Peripneumoniae* morbo correpto,
corporis, haud perinde animi robur proster-
neretur. Hinc supremo mortalium hosti,
quem imminere Adamus sensit, christianam
in Christo fiduciam collocans obuiam intre-
pido vultu Christianus iuir, & corde ad coe-
lestes sedes erecto, ardentissimis precibus, fir-
missima fide, salutari viatico, optime praepa-
ratus, inter moestissimos liberorum, Reue-
rendi fratribus, Propinquorum planetus Anno
MDCCXXXII. die X. Nouembr. circa horam
nocturnam XI. ex calamitoso mortalitatis di-
uersorio, ad beatum aeternitatis domicilium,
laetus in Christo transiit Christianus, XLVI.
tantum Annis, X. Mensibus vitae integrerrimæ
exa-

exactis, veris vere christianorum gaudiis aeternum inter coelites fruiturus. Conspexisti Viator vere christianum, firma christum fide constanter amplexum, christi vestigia studiose fecutum variis aerumnis in christo corroboratum, nunc abiet paria tandem praemia reportaturus, hoc salutare monitum *TIBI* dicendum puta, viuit christo, moritur in Christo vere christianus.

TANTUM!



IN-

INDEX.

- Obs. I. Anno 1738. & 1739. Wratislauia
demortuorum Index. pag. 4.
- II. L. Benjamin Schichtii, Gorli-
cens. Adfectus oculorum singularis. 9.
- III. D. Godofr. Henr. Burghardi,
Wratisl. Cataracta grysea, exter-
tiana Febre, per corticem Chi-
nae suppressa, ortum ducens. 19.
- IV. D. Gottlieb Oelsneri, Wratisl.
vir circa glandem penis bifurcatus
cum bubone benigno. 26.
- V. D. Godofr. Guilelmi Mulleri,
Olaiensi. Steatoma ob loci & con-
tentorum raritatem mirandum. 31.
- VI. Eiusdem : Fungus cadaueroso
suo foetore totum coemiteri ad-
mosphaeram inquinans. 37.
- VII. Noctambulus. 40.
- VIII. Insolentiores medicamentorum
formulae. 47.
- IX. Dolores haemorrhoidales & ne-
phritici, ab incongruo Elixirii
Proprietatis Paracelsi vsu, vehe-
mentissimi. 54.
- X. D. Gothofr. Henrici Burgharti
Wratisl. Erysipelas vesiculos-
sum post haemorrhagiam Vteri. 62.
MAN:


MANTISSA.


- Num. I. Eiusdem Dissertatio Epistolaris,
ad Excell. D. Andr. Ottomar.
Goelickium, Meditationes de
Thermometrorum emendatione
continens. 70.
- II. D. Joh. Christoph. Müller's Epi-
stola ad Collectores: De ligno
Indiae occidentalis Galgag. 98.
- III. Vita B. D. Adami Christiani
Thebesii, Medici & Physici
Hirschbergensis Acad. Nat. Cu-
rios. Socii. 101.

F I N I S.



f. 5. p. 103. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 95. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 103. off. 1.
p. 128. f. 1.
p. 110. f. 1. off. 2.
p. 162. f. 11.





the scale towards document

I Spec. VIII. Num. II.

127

nostri solaris systemate, uno verbo, planetae, in stellam fixam, tangentes, & propter itae suae, siue illa circu- siue parabolica fit, per ostrom sistema adueniam extendentes & sic in venientes, moxque li, sub quo cernuntur barbatos, vel caudatos deesse ipsi videntur anim eandem haud plane tentia, modo ex obser- t, Cometam supra Sa-

DLION.

xplicando Cometarum omenis maximam par- tiam hypothesin adoptauod de mutatione cor- in Cometam, & destruer Cometam dicit, non in auenerit. Curiosum aeterritendum, quod *Sinops. Cometic.* habet, tentiae robur aliquod Nam Cometarum dos, ubi scilicet eorum orbitae telluris inter- secat,

031
Patch Reference Chart TE63 Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart